


80

Philos.

1417

W



8

Philos.

~~1609~~

1417^a

Heller

W

EK

Autores à Jella o citati

- Mastrius, p. 2, 4. 12. franc. eviedo p. 8,
Complutens. p. 2, 77. quill. Chabeon. p. 8; 32.
Bonavent. Caro, p. 3. Caj. Verani, p. 8
Aroiaza p. 3, 64. J. B. de Benedichis, p. 8
Math. West. p. 3. Lud. Spondan. p. 8
Aveosa. p. 4. Didac. Masius, p. 8
Conimbrienses p. 4. Nicol. Anu. p. 8
Ruvius, p. 4, 9. Alex. Pinij, p. 8, 92.
Noges p. 4. Albert. Zener. p. 8
Manca, p. 5, 8. Albert. Ramgilly, p. 8.
Cabrera p. 5, 8. P. Romoser, p. 8, 67, 69
Masius. p. 5. E. Gschwendner. p. 8
Juarez p. 8. Capreolij, p. 8
Bastelm. amicij. Cuytany p. 8
Ballhes. Felhez. Javia, p. 8.
August. Meigg. p. 9
p. 25,

Helfg. vult nigr. p. 9.

Card. Aquino, p. 9, 76.

Placid. Nony p. 9, 10, 24, 73, 96.

Adas. Habes p. 10.

Joan. Liji, p. 10, 59. 28. 95.

Casimiro. quercus p. 10, 75.

Scotopari et vinda,

lini catalog. p. 17.

Juarez. p. 28.

Lochenheim p. 29.

Greg. Neubauer p. 32.

Francis p. 40.

Comay p. 44.

Mastig p. 55.

Christoph. Gängerl p. 57.

Chesbin M. 66. p. 76.

Ἰλλοιοι ἔργου,

Philosophia Mellen-

sis, quam edere

parabat, constare

debetur Tomis III.

primi I. logicae,

II. physicae,

III. metaphysicae

questiones complexi

debetur.

Ἰωάννης γρηγορίου Ἰωάννης

Ἰωάννης de incarnatione.



Handwritten signature or initials.

QUÆSTIO
PEDISSEQUA
PRODROMI

Philosophiæ Mettensis;

i. e.

An Materia prima sit pura
potentia? exposita

à

R. P. GREGORIO ZELLER
Ord. S. P. Bened. in an-

tiquissimo Monasterio ad

S. Michaelem Archang. in

Metten

Professo, ac p. t. Professore phi-
losophiæ Ordinario.

DEFENDENTIBUS

RR. FF. BENEDICTO GSCHWENTNER,

AUGUSTINO JUNG, & CAROLO

FREIDLSPERGER ejusd. Ord.

ac Monast. professis.

Ad diem Aug. anno 1734. horis consuetis.

Cum Licentiâ Superiorum.

Straubingæ, Typis Cassiani Betz.



BEATISSIMO
UTTONI
PASTORI

Paroeciæ Michælbuch-
ensis Zelosissimo,


ANACHORETÆ
Probatissimo,

THAVMATURGO
Famigeratissimo,

PRIMO ABBATI
Monasterij Mettensis
Vigilantissimo,
Sanctissimo,

PATRONO
TUTELARI

Nostro Clementissimo.



TIBI, non alteri, Beatissime
 UTTO, hæc folia! oppo-
 sita enim juxtà se posita ma-
 gis ut elucescant, materiam
 primam veluti *puram po-*
tenziam proponimus; TE verò tanquàm
actum purum opponimus; Qui tam in li-
 neâ scientiarum, quàm in genere Virtutum
 (actus utpotè juxtà Litteratorum effatum
 exprimit *perfectiorem*) *perfectissimus* ex-
 stiteras. Quid enim! *perfectus* jam eras,
 ex utero vix egrediens materno, dum à ve-
 nerando Sene B. Gamelberto (tunc tempo-
 ris Parœciæ Michaëlbuchensis Pastore) qui
 non sinè Religionis prodigio ad SS. Petri &
 Pauli limina Romam profectus, in itinere
 Infantem TE salutaribus undis abluit, le-
 vit, cognominavitque UTTONEM) in spi-
 ritu prævisus, quantus ac qualis futurus es-
 ses vir, nempè *secundum cor DEI. Per-*
fectus

fectus eras, quando à tuis parentibus in Italiâ secundùm scientiam ac Virtutem (ex B. Gamelberti præceptis) *perfectè* instructus, jure quasi hæreditario, filius utpotè spiritualis, in parœciâ Michaëlbuchensi ab Eodem successor electus, in Concionibus mirificè profecisti; (teste Wolfgango Selder M. S. p. 44.) peccata & publica & privata prædicatione sustulisti; plurimòsque ad salutare pœnitentiæ fructus perduxisti; usque dum ingruentibus bellicis Carolum M. inter ac Thassilonem Bavariæ Ducem tumultibus trans præterfluentem Danubium secedere, ac in sylvis inter feras veram quietem & tutum refugium quærere coactus. Proh! quàm exulta tunc in incultis sylvis Virtutum *perfectio!* in contemplatione, oratione, jejunio, aliisque Virtutibus assiduus ac *perfectus*, tales B. UTTO faciebat progressus, ut post labores, quos in construendâ suâ cellulâ adhibebat, securim ad radios solis non sinè stupendo miraculo suspenderit. Quòd dum Carolus M. fortuito casu (in venatione an. 792. positus) conspiceret, inque hunc sanctissimum Anachoretam offenderet, ad ejus humile petitum in honorem S. Michaelis Archangeli (cui B. UTTO peculiari pietate addictus erat) sub Regulâ S. P. Benedicti Monasterium

rium Mettense extruxit, fundavit, UT-
 TONEMque cœnobio primum Abbatem
 præfecit, (quanvis plurimum reuerat) ac
 Eundem postmodum Adalvinus Episcopus
 Ratisbonensis consecravit. *Perfectus* erat
 B. UTTO in Regimine Abbatiali, imò *per-*
fectissimus; omnium enim *perfectiorum*
 splendore illustratus, cumulatusque, *cla-*
rui, (ut præmemoratus Selender cit. loc.
 scribit) *magnis, stupendisque miraculis*:
 hinc ab omni imperfectione depuratus B.
 UTTO, *actus purus* secundum scientia-
 rum ac Virtutum *perfectiorum* meritò ap-
 pellari poterit. Dum ergò B. UTTO api-
 cem perfectionis conscendit, ad Patrem
 Cœlestem, qui perfectus est, ascendit, ut
 optimè ad Ejusdem Tumulum sequens ex-
 hibet Epigraphe:

Abbas hic primus UTTO nec laudibus
imus,
Hic jacet ut limus, cœlis requiescit
opimus.

Sub Tuum igitur præsidium, Beatissime
 UTTO! confugimus, dum philosophicam
 in arenam descendimus; ac quemadmo-
 dum ubique & omnimodè *perfectus* eras,
 fac, ut & nos ad majorem gloriam Reverend.
 Prænob. ac Amplissimi D. D. Augustini Ab-
 batis nostri vigilantissimi, harum thesum
 (quas

(quas Tibi B. UTTO! ut demississimo consecrarem animo, sacra sic stringebat obedientia) Patroni plurimum Gratosi (cui ob millenos alios titulos perpetuo devinctos semper nos profitebimur) *perfectè* stemus, defendamus, *perfectè* que ex arenâ philosophicâ redeamus.

Tuæ Beatitudinis ac Sanctitatis

Æternum devotissimi

Præses & Defendentes.



QUÆSTIO UNICA.

An Materia prima excludat tam actum entitativum, quàm differentialem?

Controversia hæc duplici innodatur difficultatis puncto. Primum est, *an materia prima gaudeat actu entitativo?* circa quod schola subtilis annuit. Alterum; *an materia prima involvat actum differentialem?* ubi & ipsi Thomistæ inter se differunt. Nos, utpotè hac in Parte Thomæi, sententiæ primæ primas deferre nequimus; & secundam, genuinorum ac severiorum Thomistarum vestigia prementes, negativè resolvimus. Undè sit

§.I.



§. I.

Divisio potentiae circa praesentem materiam assignatur.

P Res communiter ab Authoribus assignari solent potentiae, videlicet *objectiva*, *subjectiva*, & *activa*. Potentia *objectiva* nihil aliud est, quam mera possibilitas, & non repugnantia; quæ potentia verè realis dici nequit, sed *negativa* solum, & *logica* vocari consuevit; quam potentiam habent omnes res ab æterno possibiles.

2. Potentia *subjectiva* est, quæ etiam appellatur *passiva*, realis capacitas recipiendi formas. Hæc potentia duplex est; *passiva physice*, & *passiva metaphysice*. Physica rursus duplicitate gaudet, diciturque una *pure receptiva*, quæ præcisè recipit formam, & ab hac informatur; sic anima rationalis in materiâ recipitur. Alia



receptiva, & sustentativa simul, quæ non solum recipit formam, & ab hac informatur, sed & sustentat formas, quales sunt formæ materiales.

3. *Potentia activa* est virtus productiva, aut causativa alicujus effectûs; talem potentiam etiam habet DEUS respectu suæ omnipotentiae, & huic potentiae correspondet sua operatio. Verùm quid alij sentiant circa hanc divisionem, videbimus infrà in §. 10. h. Quæst.

§. II.

Quis sensus tam veterum, quàm recentiorum T. T. circa actum entitativum.

4. **T**Homistæ, inquit *Mastrius hic art. 2. fol. 39.* Explicârunt essentiam materiæ per hoc, quòd in genere & coordinatione entium sit nuda, & pura potentia, omnem prorsùs excludens actum, etiam entitativum. Sed sicut per actum entitativum non omnes idem intelligunt, ità non omnes in eodem sensu hanc tuentur sententiam. Ex quo factum est, (ut fatentur *Complutenses 1. physic. disputat. 3. q. 2.*) ut controversia hæc, quæ

quæ tam celebris extitit ab initio scholarum Thomistas inter & Scotistas, modò magna ex parte evaserit quæstio de nomine. Dicit insuper *Bonaventura Baro hïc act. 4. fol. 29.* esse quæstionem indigam tempore & tractatu. Verùm hoc dictum Baronis sufferre nequeo, cùm Clarissimi viri fusè eandem pertractent materiam, ut dicemus in §. V. h. quæst. Et certè quæstio de nomine non est, (ut etiam vult *Arriaga disput. 2. phys. sect. 5. n. 66.*) an, si quid est ens, eò ipsò dici possit actus entitativus, vel logicus; certè quæstio de nomine non est, inquit Clar. P. Weifs lib. I. physic. comment. 2. a. 4. quando, si alterutrum affirmes, aut neges, talia consequuntur, quæ naturâ, & re longissimè dissident, ut hïc fieri solet; nam ut cætera taceam, si semel materiæ tribuas propriam actualitatem, tribues etiam partialem existentiam, subsistentiam, vincula debebis quærere, uniones, & modos, & difficillimum erit, quomodò ex materiâ & formâ fiat unum simpliciter, & per se.

§. Thomistas autem hac in parte partiri debes in quatuor classes. In primâ constituuntur Veteres, qui ità mordicè à natura materiæ excluderunt omnem actum

entitativum, ut in totâ coordinatione entium nullum gradum entis ipsi adscripserint, sed omnem ejus entitatem in formam re-
 tulerint. Ità notat *Aversa q. 20. sect. 8.*
 Horum opinio, si præcisè *entitatem actualem* materiæ deneget, toleranda, sin ve-
 rò etiam *entitatem potentialem* à mate-
 riâ excludat, rejicienda est; nam si mate-
 riæ & formæ una sit entitas, quomodò
 materia erit compars formæ? quì evadet
 compositum? &c. & sequuntur alia absur-
 da, quæ legere est apud *Mastrium cit.*
loc. supra.

6. In secunda classe illos pono Tho-
 mistas, qui materiæ nedum partialem suam
 entitatem, sed etiam existentiam realiter
 distinctam ab existentia formæ concedunt,
 & adhuc actum entitativum eidem dene-
 gant. ita *Conimbricenses I. physic. cap. 9.*
q. 3. a. 1. Ruvius tract. de mat. q. 2. Soto
I. physic. q. 6 a. 2. Niger in Clyp. q. 10.
hos D.D. refutabimus q. V h. Tom. II. dò
ubi tractabimus de existentia materiæ pri-
mæ.

7. Tertiæ Classi accensentur, qui ma-
 teriæ primæ existentiam denegant, actum
 tamen entitativum eidem concedunt, quia
 volunt, actum ejusmodi entitativum im-

portare intrinsecam, & transcendente[m] perfectionem cujuscunq[ue] entis. ita Manca I. physic. q. 4. dub. 8. qui citat Cabreram. 3. p. a. 11. disputat. 2. conclus. 3. n. 85. & Masium I. physic. sect. 2. cap. 9. q. 6. conclus. 3. hos impugnabimus in subseq. conclus. h. quæst. Tandem

8. In quarta Classe numerantur Thomistæ illi, qui (genuini planè) mentem D. Thomæ meliùs penetrantes, concedunt materiæ primæ propriam essentiam ac entitatem à formâ realiter distinctam; eidem autem denegant omnem *actum entitativum*; (ut & nos in conclus. I. dicemus.) *actum metaphysicum*; (de quo con. II.) & *actum existentialem*; quo eandem esse privatam q. 5. Tom. II. Philos. Mettenfis docebimus) huic Classi igitur subscribemus. Priùs tamen sit

§. III.

Duo essentia[rum] actus Metaphysici exponuntur.

9. **N**otandum, in AA. um doctrina esse distinguendos actus essentia[rum] metaphysicos, unum videlicet *specificum, trans-*

cedentalem alterum. Actus essentialis metaphysicus specificus, saltem rigorosè, & propriè acceptus, ille est, qui ad naturam essentialem specificam totalem, & completam constituendam ordinatur; quò pacto *rationalitas* ad naturam humanam constituendam tendit. Actus verò metaphysicus transcendentalis ille est, qui omnem entitatem realem transcendit; eò ipsò enim ajunt AAij. Scotistæ, & Recentiores plures, quòd entitas realis sit, actualis sit, necesse est, actualitate saltem transcendentali. Et hujusmodi actus transcendentalis à multis vocari consuevit *entitativus*, eò quòd realem constituat entitatem; hìcque nuncupandi modus modò invaluit. Actus tamen entitativi nomine intelligunt Scotistæ (cum plurimis Recentioribus) existentia actum, putantes, proprium existentia munus esse, ut entitatem realem constituat.

§. IV.

Duplex unitas specifica exploratur.

10. **N**otandum ex Doctore Angelico, qui l. p. q. 16. a. 7. ad 2. Duplicem

cem unitatem specificam docet, & distinguit, *positivam* videlicèt, & *negativam*. Positiva est, quæ oritur ex aliquo principio, quod res in se ipsâ positivè habet, & ratione cujus est una in specie; sic homo in se habet animam rationalem, ex quâ ceu primo, & radicali principio unitas ipsius specifica oritur. Negativa dicitur illa, quâ aliquid non est plura specie, quia in se non habet principium aliquod, à quo specificationem intrinsecam, & multiplicationem specificam accipiat; seu quia ex se caret omni actu distinguente secundùm speciem. Porrò tam unitas specifica positiva, quàm multiplicatio secundùm speciem proximè oritur ex illâ actualitate metaphysicâ, quam *differentiam* vocare solemus; hujus enim proprium munus est, ut constat, non solum constituere cum genere speciem, sed hanc quòque facere differre ab alijs.

§. V.

*Duplex circa secundum
quesitum refertur D.D. opinio.*

II. **P**rimò, Materiam primam habere actum differentialem asserunt, &

- defendunt Franciscus Suarez disputat. 13. metaphysic. sect. 5. n. 8. Bartholomæus
- Amicus in Physic. Tract. 5. q. 4. art. 3. Balthasar Tellez part. 2. sum. phil. disputat. 22.
- sect. 1. n. 12. Franciscus Oviedo controv. phys. pun. 8 n. 1. Guilielmus Chabronus tract. I. physic. disput. 2. sect. 2. conclus. 2.
- Cajetanus Verani disputat. 3. physic. sect. 6. n. 11. Joannes Baptista de Benedictis lib. I. physic. q. 2. cap. 2. §. 1. Ex Nostris subscribit Card. Fondrati lib. I. phys. §. 2. n. 10. quem ex Thomistis sequuntur Didacus Mafius lib. I. physic. cap. 9. q. 6. assert. 3. Nicolaus Arnù lib. I. physic. q. 3. art. 2. §. 3.
- Hieronymus Mança lib. I. physic. q. 4. Lerma ibidemque 3. Cabrera 3. p. q. 2. con. 3.
- Alexander Piny lib. I. physic. q. 1. Albertus Zennerus in conclus. philos. natur. conclus. 3. Albertus Tranquillus q. 2. plurés alij. His adde Magnif. P. Romoser hîc art. 2. n. 77. & seq. Carolum Gleichvantner in M. S. Salzburg. hîc art. 6.

12. *Secundò*, Materiam primam non habere actum differentialem, affirmant, ac tuentur ex Thomistis Capreolus in 2. dist. 13. q. 1. Cajetanus de Ent. cap. 5. q. 8. Parra lib. I. physic. q. 2. & 3. Philippus à SS. Trinitate. 12. sum. phil. q. 2. art. 2. & 4. in fin.

fin. Joannes ab annuntiatione lib. I. physic. q. 2. & 3. Quibus accedunt Augustinus —
 Magg. physic. q. 2. fol. 16. not. 3. Wolf- — *W*
 gangus Reidtmayr in M. S. Mettensibus
 hîc art. 2. conclus. 2. aliisque plures. Ex
 Recentioribus autem eandem propugnat
 opinionem Antonius Rubius lib. I. physic. —
 tra. I. q. 2. n. 14. Ex Salisburgensibus DD.
 Card. Aguirre disputat. 4. physic. art. 2. q. —
 1. Placidus Rentz disput. I. physic. q. 2. —
 art. 3. & alij &c. &c.

§. VI.

*Materia prima nullum ha-
 bet actum physicum.*

13. **S**upponendum, quòd materia prima
 ex se (ùt constat ex Aristotele
 pluribus in locis, præsertim hîc cap. 7. &
 3. de cæl. cap. 8.) nullum actum physicum
 habeat, seu nullam determinatam formam
 substantialem; si enim materia prima in-
 cluderet formam substantialem, ex ea
 componeretur, cùm eandem in se non
 involveret, nisi ùt partem, cujus munus
 est, totum componere. Adeoque prima
 materia tunc non ampliùs foret pars, sed

totum compositum; & quidem physicum, utpotè ex parte physicâ constitutum; quòd prorsus inauditum est, quia omnes unò ore docent, materiam primam & formam substantialem solùm esse partes físicas, totum physicum intrinsecè constituentes. Materiam primam igitur esse puram potentiam physicam, omnium vox est.

§. VII.

Statuitur Conclusio:
Materia prima actu entitativo
caret.

14. **H**Anc nostram conclusionem ex instituto fusèque propugnant *Clar. P. Ludovicus Babenstuber lib. I. Physic. disput. 3. art. 3.* cum communi *D. D. Salisburgensium. Joannes Syri lib. I. physic. art. 1. §. II. Casimirus Guerinis in I. p. physic. q. 2. §. 2. Placidus Rentz physic. art. 2. Clar. meus Philos. Professor P. Wolfgangus Reidtmayr in M. S. Mettensibus hic art. 2. pag. mihi 49. & seq. cum alijs pluribus, &c. &c.*

15. *Contra subtilem Doctorem Sco-*
rum

tum in 2. dist. 12. q. 1. Eiusque sequaces *Trombettam, Radam, fabrum, fuentes, Roccum, Sghemmam, Parisienses* &c. Et contra *Nominales* omnes, ut ait *Mastrius* loc. supra cit. item contra *Toletum, Pererium, Amicum, Aversam, Hurta-dum* &c. Contra *Lalemandetium physic.* disput. 2. partit. 3. n. 19. *Suarezium* Tom. I. met. disput. 13. sect. 4. aliosque Recentiores quam plures &c. &c.

16. Et ut clarè ac distinctè procedamus, dictam conclusionem *in seq. §. §.* stabiliemus *primò* authoritate *Aristotelis* firmissimâ; *secundo* authoritate *D. Thomæ* omninò evidenti; ac *tertiò* rationibus efficacissimis, & vix non demonstrativis. unde sit


§. VIII.

Conclusio probatur I.^{mò}

Authoritate Aristotelis firmissimâ,

17. **P** Robo conclusionem I.^{mò} ex *Stagyritâ* hoc lib. præsertim textu 69. & 70. ubi investigans naturam materiæ primæ ità loquitur: *ità se habet materia prima ad formas naturales, sicut as, vel lignum ad artificiales.* (nota! forma-

ma-



malia philosophi citabo, & referam quæst. V. Tom. II. Philos. Mettens. ubi agam de existentia Materiæ primæ) ex quo textu

Tale adorno argumentum: sicut se habet materia secunda ad formas secundas, videlicet subjectum ad accidentia naturalia, & materia artefacti ad actum, & formam artificialem, ita materia prima ad actum, seu formam primam, nempe substantialem naturalem, atqui materia secunda, seu subjectum accidentium secundum se nullum includit actum accidentalem, & materia artefacti nullum actum artificialem: ergo pariformiter materia prima, secundum se nullum includit actum entitativum, seu substantialem naturalem.

18. *Respondet* Scotistarum post Scotum facile Antesignanus Mastrius, negans paritatem, aitque, disparitatem consistere in hoc, quòd materia artefacti, & subjectum accidentium supponat aliquid actu, nimirum suum esse naturale, & substantiale, ratione cujus potest formas accidentales, & artificiales recipere. Cæterum materia prima nisi ex se, habeat actum, non supponit aliquid actu, quod

tamen

St. Joseph. d. Mettens. Tom. II.

tamen est necessarium ad hoc, ut recipiat formam, quia nihil potest recipere aliquid actu, nisi habeat actu. Verùm

19. *Contra sic argumentor*: ad hoc, ut materia artefacti recipiat formam artificialem, non est necesse, ut pro priori ad illam supponat aliquid esse actu artificiale; & similiter subjectum, ut recipiat formam accidentalem, non est necesse, quòd supponatur in actu accidentali; ergò pariformiter ad hoc, ut materia recipiat formam substantialem, non est necesse, quòd supponatur in actu naturali substantiali, seu entitativo. Consequentia est exacta, quia sicut materia artefacti est in potentia tali, scilicet artefactibili, & subjectum accidentium in linea accidentali, ita materia prima est absolute in potentia ad formam; ergò &c.

Hanc paritatem magis urgebo in quæst. V. Tom. II. de existent. mat. philof. Mettens.

20. *Probo rursus II. dò conclusionem* ex alio loco Aristotelis, qui 9. met. text. 1. dividit ens in potentiam & in actum, ut in membra opposita; ergò datur ens reale extra nihil, seu extra statum possibilitatis positum etiam potentiale; consequen-

sequenter non omne, quod non est nihil, seu quod est entitas realis, illicò est ens in actu, cum possit esse potentia. Unde si dicas:

*Materia prima est entitas realis :
ergo est ens actu ;*

Mala fit consequentia, haud secùs, ac si dicerem. Homo est animal
ergo est noctua.

21. Respondet Imò Insignis quidam Scotista, quòd Aristoteles, licèt dividat ens reale in actum, & in potentiam, non intendat, aliquid esse puram potentiam, nullum prorsùs includens actum; sed solummodò dari aliquod ens, quod est actus, & aliquod, quod habet rationem potentiaè; & hoc optimè salvari potest, tametsi talis potentia habeat aliquem actum, sicut est materia prima, quæ in sententia Scoti habet actum entitativum, & tamen adhuc est in potentia ad formam, At

22. *Contra ita philosophor*: quia si illa potentia aliquem includat actum, adhuc ipsa erit divisibilis in actum & potentiam, cum ex utroque constet. & hunc peto, num ista potentia, in quam est divisibilis, includat aliquem actum, nec ne? si posterius: ergò extat aliqua po-
ten-

tentia, nullum includens actum; & hæc est materia prima. Si prius: ergò iterum erit divisibilis in actum & potentiam, sicque in infinitum.

23. *Respondet II. dō* Egregius quidam Thomista, qui actum entitativum propugnare videtur, quòd Aristoteles dividerit ens reale in ens potentiâ, prout præcisè possibile esse habet, seu pro statu possibilitatis: & in ens actu, quatenus est extra statum possibilitatis. Sed

24. *Contra ita discurre:* Quia taliter Philosophus non fecisset bonam divisionem entis in diversas res, & entia, sed præcisè fecisset divisionem in diversos status, cum tamen Aristoteles hōc locō egerit de diversitate, & multiplicitate entis: ergo &c.

25. *Probo iterum Conclusionem III. tiō* ex alijs locis Aristotelis hōc pactō: quod includit actum entitativum, est ens actuale, atqui materia prima ex Aristotele secundum se non est ens actuale: ergo &c. major patet, quia effectus formalis actūs entitativi non potest esse alius, quàm ut constituat ens actuale; & hoc neque AAij inficiantur. min. autem prob. Philosophus lib. I. de generat. cap. 3. text. 11. & 12, & 5. phy-

5. physic. cap. 1. text. 8. & alibi sæpius materiam primam appellat *ens in potentia*, nullibi verò eandem vocat *ens actuale*, nec ullum Aristotelis locum AA. ij possunt afferre, in quo materia prima à Philosopho nuncupetur *ens actuale*, ergò ex mente Aristotelis materia prima actu entitativo caret.

§. IX.

Conclusio probatur II.^{dò}


Authoritate D. Thomæ omninò evidenti.

26. **A**ngelicus Didascalus in I. Contr. gent. Cap. 43. ita habet: in rebus invenitur aliquid, quod est potentia TANTUM, uti materia prima: & aliquid, quod est actus TANTUM, ut DEUS; & aliquid quod est actus, & potentia, ut res cœteræ ex quibus verbis *Ita Ratiocinor*: Sicut DEUS est purus actus, ità materia prima est pura potentia; sed DEUS ità est purus actus, ut nullam includat potentialitatem: ergò pariformiter materia prima ità est pura potentia, ut nullam prorsùs includat actualitatem majorem probo; sicut DEUS est primus

primus actus, quo prior alius non datur, ita materia prima est prima potentia, quâ prior alia non est dabilis: ergò sicut DEUS est purus actus, ita materia prima est pura potentia.

27. *Urgeo dictum Ratiocinium I. mò* quemadmodùm DEUS est primus actus, ita materia prima est prima potentia; sed DEUS, qui est primus actus, est actus infinitus (intellige *positive*) per inclusionem omnis actûs: ergò materia prima, quæ est prima potentia, erit infinita, non *positive*, quia infinitudo positiva dicit perfectionem positivam, & aliàs potentia, ut potentia, dicit imperfectionem, ergò saltèm *negative* per exclusionem omnis actus.

28. *Urgeo II. dò* Sicut DEUS est primus actus, ita materia prima potentia, sed DEUS, qui est primus actus, includit omnem perfectionem, & excludit omnem Imperfectionem, adeóque & potentialitatem, quæ imperfectionem dicit: ergò pariter materia prima, quæ est prima potentia, excludet omnem perfectionem, adeóque omnem actum; sicut enim potentia, quatenus potentia, dicit imperfectionem, quâ ratione omnis potentialitas à DEO relegatur, ita & actus, quatenus



actus, dicit perfectionem, quâ ratione in DEO omnis actus collocatur.

29. *Urgeò III.tiò* Juxta S. Thomam cit. loc. materia prima est ens in potentiâ tantum, seu est potentia tantum: ergò non habet actum entitativum. conseq. probò. quia antecedens est propositio exclusiva de prædicato: ergo & affirmat unum prædicatum (quod hic est *ly potentia*) de subjecto, & ab hujus consortio removet alia, ut norunt boni sumulistæ; habet siquidem has exponentes: *materia prima est potentia, & est nihil aliud, quàm potentia*; atqui si est nihil aliud, quàm potentia, consequenter neque est actus entitativus.

30. *Urgeo IV.tò* Hæc propositio, *DEUS est actus* tantum, foret falsa, si DEUS esset quid aliud quàm actus; positivè siquidem removeret à DEO, quod DEO verè, & formaliter conveniret: ergò hæc propositio, *materia prima est potentia tantum*, esset falsa, si materia esset quid aliud quàm potentia, cum similiter removeret positivè, à materia id, quod ei verè & formaliter conveniret, videlicet actum.

31. *Urgeo V.tò* Juxta verba angelici Magistri tantum res distinctæ à DEO, & materia prima sunt actus, & potentia: ergò

ergò materia prima non est actus, & potentia. Conseq. probò: quia antecedens est propositio exclusiva de subjecto, cujus est remove alia subjecta à participatione prædicati. Hinc habet has exponentes: *Res distincta à DEO, & materia prima sunt actus & potentia, & nihil aliud est actus & potentia*; atqui supposita veritate opinionis adversæ materia prima est actus & potentia, actus scilicet entitativus, & prima potentia passiva, seu primum subjectum in genere entis: ergò &c. &c. tandem

32. *Urgeo VI. tò* Juxta Doctorem Angelicum nihil aliud, quàm res distincta à DEO, & à materia prima sunt actus & potentia, sed materia prima non est res distincta à materia prima, quamvis sit distincta à DEO: ergò non est actus & potentia; atqui foret actus & potentia, si haberet actum entitativum; ergo materia prima ejusmodi actum non habet.

§. X.

Conclusio probatur III.

Ratione triplici efficacissimâ.

33. **P**ro nostra Conclusionem Rationem ita
 B 2 dis-

discurro Imo: si materia prima in sua entitate includeret actum entitativum, foret actus, & non foret actus, quod est Implicatorium, foret actus, ut supponitur; & non foret actus, quod sic probo: quia ratio transcendentalis rei talis est, qualis est res, in qua imbibitur, sic ens in substantia imbibitum est substantia, in accidente est accidens; atqui actus entitativus juxta Scotum, ejusque sequaces, est ratio quædam transcendentalis respectu omnium rerum, quæ sunt extractæ extra statum potentiæ objectivæ: ergo ille actus, si inveniatur in potentia, non erit actus, sed potentia; Cùm ergò Materia prima secundum suam propriam, & ultimam formalitatem solum sit potentia, ut ipsimet AA.ij non renuunt, Consectarium est, quod ille actus entitativus in illa imbibitus, non sit actus, sed potentia, ac proinde quòd sit actus, & non sit actus, quod est implicatorium.

34. *Discurro II.dò sic*: Si materia prima secundum se, & in se habeat actum entitativum, tunc potentiam illius objectivam explet, & simul non explet, imò nequit explere: ergò actus entitativus in materia prima repugnat. Conseq. est legitima, antecedens autem probo: imprimis

explet illius potentiam objectivam, ut supponitur, quia hoc est unum unicum illius munus, ut continuò fatentur, clamántque AAij. Deindè non explet, imò nequit explere, quod sic demonstro: quandò res in potentia objectiva, seu in statu possibilitatis (quod perindè est) non est actus, tunc potentiam ejus objectivam non potest explere actus entitativus; atqui res, quæ est in potentia objectiva materiæ, & dum est in potentia objectiva, non est actus: ergò ejus potentiam objectivam non potest explere actus entitativus. Subsumo: sed res, quæ est in potentia objectiva materiæ primæ, non est alia, quàm ipsa materia prima: ergo &c. Imprimis consequentiæ omnes sunt legitimæ; deinde patet etiam subsumptum: ac tandem constat Minor syllogismi; alioquin illa res, nempe materia prima, dum est in potentia objectiva, esset actus saltem entitativus, cum nullus alius illi prius competeret; hoc autem est absurdum, quia simul esset possibilis, & non esset purè possibilis, ut patet. Tota igitur difficultas devolvitur ad majorem, quam ita ostendo: quandò res in potentia objectiva est actus, tunc ejus potentiam objectivam nihil potest explere,

præterquàm actus; quia expletivum potentiaë objectivæ id solùm ponit formaliter extra causas, quod est in illa potentia, seu quod est possibile; secus non expleret talem potentiam objectivam, sed aliam, in qua id, quod poneret, contineretur; ergò similiter, quandò res in potentia objectiva non est actus, ejus potentiam objectivam non potest explere actus, sed solùm aliquid, quod non est actus. Et

35. *Hunc discursum sic roboro:* quod explet potentiam objectivam hominis, non potest esse animal irrationale, sed debet esse animal rationale positum extra causas; ergò similiter, quod explet potentiam objectivam actus, non potest esse non actus, sed debet esse actus, quia id, quod est in potentia objectiva actus v. g. formæ substantialis non est non actus, sed est actus. ant. est evidens, quia id, quod est in potentia objectiva hominis, non est animal irrationale, sed animal rationale. Consequentia autem tenet à pari. Jam ulterius sic promoveo discursum: ergò eodem modo id, quod explet potentiam objectivam entitatis, quæ non est actus, non potest esse actus, sed debet esse entitas posita extra causas, quæ non sit actus; quia id, quod est

est in potentia objectiva illius, non est actus, sed entitas carens actu. Cum proinde materia prima in potentia objectiva non sit actus, hanc potentiam non potest explere ullus actus etiam entitativus; sicut potentiam objectivam formæ substantialis non potest explere primum subjectum, seu materia prima, quia in potentia objectiva non est primum subjectum, sed primus actus substantialis.

36. *Discurro III. tìd* sic: quod ex se ratione sui includit actum entitativum, ex se & ratione sui est actus à parte rei; atqui materia prima ex se, & ratione sui non est actus à parte rei: ergo ex se, & ratione sui non includit actum entitativum. Major constat etiam ex mente AA. um, quia effectus formalis actûs entitativi est, ens à parte rei constituere ac reddere actuale; min. autem probò: cùm aliquid à parte rei non ponatur, nisi virtute productionis agentis, illud duntaxat ex se, & ratione sui est actu à parte rei, quod ex se, & ratione sui terminat productionem agentis; atqui materia prima, ex se, & ratione sui non terminat productionem agentis, ergo &c. min. probò: illud ratione sui, & ex se terminat productionem agentis, quod ratione



fui intenditur ab agente; sed materia prima ratione sui non intenditur ab agente: ergo &c. Major patet, cùm eô modô aliquid terminet productionem agentis, quô modô ab ipso intenditur, min. verò probo: quia partes ratione sui ab agente non intenduntur, sed tantùm ratione totius, cùm agens non intendat partes, nisi ut ex eis coalescat totum, quod producit; materia autem prima, & forma substantialis sunt partes totius physici: ergo &c.

§. XI.

Conclusio probatur IV.

Aliâ ratione triplici, vix non demonstrativâ.

37. **R** *Atione ulterius pro nostra conclusione ita philosophor I, mò*
 Quærendô ab AA. ijs (cum P. Rentz hic art. 2.) quid tandem intelligant per actum entitativum? vel enim intelligunt per illum aliquod ens in lineâ entis determinatum, & exprimens specialem modum essendi, sicut lapis est determinatus ad esse lapidis, lignum ad esse ligni? tunc materia reverà
 non

non est, nec habet actum entitativum, quia de se non est quid determinatum, sed indeterminatum, & ad omnes entis materialis species indifferens. Vel intelligunt omne id, quod non est nihil, ita, ut actus entitativus opponatur nihilo; & quidquid non est nihil, dicatur actus entitativus? & tunc sine dubio negari non potest, materiam esse actum entitativum, quia materia non est nihil, sed est realis entitas distincta à forma, interim tamen non videtur, talem entitatem absolutè *actum verum* appellari debere, quia etiam potentia non est nihil, etiam entitas realis ipsa Potentia est ingrediturque compositionem entis creati; quis autem dixerit potentiam appellandam esse actum? Dixi *verum*; nam (verba sunt Doctoris Angelici de spiritual. Creatur. a. 9. ad. 3.) *quod nos vocamus hominem, alius potest vocare asinum.*

38. *Philosophor II. dō sic*: Actus entitativus materiæ non est prædicatum essentialiale, nec proprietas necessaria, nec prædicatum accidentale physicum illius; ergo materia prima caret actu entitativo. Consequentia est innegabilis, quia quidquid rebus convenit, debet illis convenire in ali-



quo prædicato ex tribus prædictis: aut assignetur quarta prædicatorum classis: aut, autem probo, & quidem quo *ad primum & secundum*; quia prædicatum essentiale, ac proprietas necessaria conveniunt rebus absolutè, & in omni statu, etiam possibilitatis; sed actus entitativus non convenit materiæ primæ in statu meræ possibilitatis, ergò actus entitativus non est prædicatum essentiale, aut proprietas necessaria materiæ primæ. Major est infallibilis; nam, quæ non conveniunt absolutè, & in omni statu, illa aliquandò conveniunt, & aliquando non conveniunt, atque adeò sunt prædicata contingentia, minorem autem probo; actus entitativus non convenit materiæ primæ, dum adhuc est in potentia objectiva, ut ipsimet AA.ij concedunt; sed in statu meræ possibilitatis est in potentia objectiva, ut rursùs constat: ergo actus entitativus materiæ primæ non convenit in statu meræ possibilitatis.

Jam etiam probo, quod actus entitativus non sit accidens reale physicum materiæ primæ; & quidem dupliciter; *Primò*: quia actus entitativus constituit materiam primam primò, & formaliter in
ratione

ratione entis actualis, quod ipsi, utpote substantiæ præstare nequit ullum accidens physicum,

Secundò. Quia nullum accidens, saltem permanens, immediatè recipitur in materia prima, ut docebimus in Tom. III. sed actus entitativus immediatè est in materia prima; ergo &c.

39. *Et Confirmo* ex Clar. P. Lud. Babenstuber hîc art, 3. fol. 46. sequentes propositiones:

Homo est rationalis;

Homo est risibilis

Item & istæ:

Materia prima est potentia passiva;

Materia prima est ingenerabilis;

Hæ, inquam, propositiones veræ sunt absolutè, & in omni statu, quia videlicet prædicata, quæ affirmant de suis subjectis, sunt essentialia, vel proprietates necessariæ: ergo similiter ista:

Materia prima habet actum entitativum;

Aut sic:

Materia prima est actus entitativus:

erit vera absolutè, & in omni statu ex hypo-

Philosoph. Metaph. Tom. III.



hypothefi, quod actus entitativus fit prædicatum effentiale, vel proprietas materiæ primæ neceffaria; atqui confeq. non admittunt Doctores adverfi; ergo nec ant. poffunt admittere. tandem

40. *Philofophor III. tiò fic*: Si materia prima haberet actum entitativum, ille actus entitativus, aut effet informans, aut per fe fubfiftens; actus fiquidem medius inter informantem, & fubfiftentem non datur, atqui actus entitativus nec eft actus informans, nec actus per fe fubfiftens; ergò &c. min. probò. non informans, ut patet ex dictis ex capite hujus quæft. nec etiam per fe fubfiftens, quia hic eft perfectior actu informante, utpotè à materiâ omninò independens, ut patet in DEO, & Angelis; fed materia prima non eft perfectior actu informante (loquendò de fubftantiali) ergò non eft actus per fe fubfiftens. Ad hanc ultimam probationem.

41. *Respondet I. mò Suarezius Tom. I. Met. Disputat. 13. feft. 5. n. 14.* quòd actus entitativus materiæ primæ fit, fubfiftens actus incompletus, quia ipfamet effentia materiæ primæ fubfiftit propriâ fubfiftentiâ incompletâ, feu partiali.

42. *Respondent II.dò* Alij AA.ij apud Clar. Liechtenheimb in controv. 8. physic. part. I. controv. I. actum entitativum materiæ primæ nec esse informantem, nec propriè ac completè subsistentem; posse tamen dici in aliquo sensu subsistentem per se, quatenùs in nullò alio subjecto sustentatur.

Verum contra Responzionem Suarezij.

43. *Disputo I.mò sic*: materia prima non existit existentia propria, ut cit. Q. V. Tom. III. philos. Mettens. demonstrabimus: ergo nequit subsistere subsistentiâ propriâ. consequentia exinde patet, quòd existentia, & subsistentia realiter non distinguantur, ùt plurimi etiam AA. docent. Accedit, quòd partiales existentias, consequenter & subsistentias partiales simus rejecturi in Tom. III.

44. *Contra disputo II.dò sic*: Omnis actus incompletus ordinatur cum potentiâ sui generis ad constituendum aliquod tertium in eodem genere; ùt patet ab inductione; nam actus formalis physicus ordinatur cum potentia physica ad constituendum totū physicum; actus metaphysicus (differentia) ordinatur cum potentia metaphysica (genere) ad constituendum totum

totum metaphysicum &c. Atqui actus entitativus materiæ primæ non ordinatur cum aliqua potentia sui generis ad constituendum aliquod tertium in eodem genere: ergò &c. min. probo; potentia correspondens actui entitativo in suo genere non est alia, quàm potentia objectiva, sed actus entitativus materiæ non ordinatur cum potentia objectiva ad constituendum aliquod tertium in suo genere: ergò &c. major claret, quia sicut potentia correspondens formæ receptibili est potentia passiva, & potentia correspondens actuali operationi est potentia activa; ita etiam &c. min. verò facile probo; quia potentia objectiva correspondens actui entitativo materiæ positâ extra causas materiâ primâ non amplius datur: ergò est impossibile, ut actus entitativus materiæ cum potentia objectiva ordinetur ad constituendum aliquod tertium in suo genere; quid enim constituet cum eo, quod non est? imò quod nihil est?

Neque refert, inquit hîc Clar. Babenstuber n. marg. 7. si dicatur, actum entitativum materiæ ita esse incompletum, ut tamen subsistat subsistentiâ partiali; atque adeò non debere ordinari ad

constituendum aliquod tertium, ut alios actus in suo genere incompletos, Nam

Contra est: quòd etiam forma substantialis subsistat subsistentiâ saltem partiali, & quidem potiori jure, quàm actus entitativus materiæ. si huic talis subsistentia semel concedatur; atqui hoc non obstat, quò minùs forma substantialis ordinetur cum potentia sui generis ad constituendum aliquod tertium in eodem genere: ergò nec obstat illa subsistentia partialis, quò minùs actus entitativus materiæ ordinari debeat cum aliqua potentia sui generis ad constituendum aliquod tertium in eodem genere, si sit actus incompletus.

45. *Contra II. dam AA. um responsionem ità ratiocinor*: ex eo, quod est commune tam actui per se subsistenti, quàm subjecto primo, malè inferitur aliquid esse actum per se subsistentem; sicut ex eo, quod est commune homini & bruto, malè concluditur, aliquid esse hominem; atqui in nullo alio subjecto recipi, aut à nullo alio subjecto sustentari, est commune tam actui per se subsistenti, quàm subjecto Primo: ergò ex illo malè inferitur, aliquid, actum videlicet entitativum, esse actum per se subsistentem; cùmque ali-

aliundè materia prima respectu omnium formarum se habeat merè passivè, sitque ab illis purè determinabilis, & perfectibilis; ipsa verò nullius potentiaè verè & propriè dictæ determinativa, *quia per se nec est quid, neque aliquid aliud eorum, quibus ens determinatur*, ut dicitur septimò Meta. text. 8. vò, potius inferri debet, esse puram potentiam.

§. XII.

Divisio Potentiæ P. G.

Neubauer, scrupulus cujusdam Scottista, & probatio P. Chabroni circa actum entitativum rejiciuntur.

46. **A** Udiamus, quid sentiat, & quomodò dividat potentiam P. Georgius Neubaur *in select. thes. Alderspachij* annò 1674. propugnatis. sic ergò in prima parte Physic. fundamental. Cap. I. controv. 2. quæres 2. n. m. 2. pag. 200. Discurrit; *Suppono primò, potentiam triplicem distingui posse, activam, subjectivam, & objectivam.* Hæc omnia concedo; dein pergit: *singulisque actum suum proprium opponi*; hoc nego; quia

quia potentia objectiva non per actum, sed per entitatem realem expletur, ut statim dicemus. P. Neubauer c. l. profequitur suum discursum; *activa potentia est virtus producendi effectum; atqui actus huic potentia oppositus est actio, sive actus causativus.* Hoc permitto, *passiva, inquit ulterius, subjectiva, aut receptiva est capacitas, quam res habet, ut sit subjectum recipiens aliquam formam: actus oppositus est forma physica.* Hoc rursus permitto. Tandem cit. num. ita concludit, *objectiva est possibilitas rei, sive ejus ad existentiam non repugnantia; actus huic potentia oppositus est existentia, seu positio extra causas; hanc etiam vocant actum entitativum.* Hoc nego, pernego, & efficaciter

47. *Contrarium sic ostendo:* in tantum potentia objectiva expleretur per actum entitativum, in quantum actus entitativus corresponderet, seu esset correlativus potentia objectiva; quia materia prima tanquam actus entitativus expleret illam potentiam objectivam; atqui in tantum potentia objectiva non respicit actum entitativum sibi oppositum: ergo &c. minorem probo: illa non sunt correlativa,

quæ non sunt in eodem genere: sic enim non sunt simul natura & cognitione, adeoque nec relativa; atqui potentia objectiva, quæ solum est negativa, logica, & rationis, non est in eodem genere cum materia prima, quæ est positiva, physica, & realis: ergo non sunt correlativa; consequenter potentiæ objectivæ non correspondet actus entitativus, sed entitas physica & realis, abstrahendo, an sit entitas actualis, seu potentialis, hoc siquidem potentiæ objectivæ est merè per accidens. Et planè pro certo habeo, quod *nihilum* sui opponatur *entitas realis*; sed potentia objectiva est *nihilum* sui, & materia prima est entitas realis: ergò &c.

48. Hinc suo quoque liberatur scrupulo Scotista ille egregius, qui in Thes. philos. punct. 4. n. 66. ita secum anxie discurret: *non capio, quâ fieri possit, ut res de se merè possibilis ad statum realem erahatur, nec tamen sit actus entitativus; constat siquidem potentiam possibilem intellectûs expleri per actum, nempe per ipsum intellectum actu positum, qui est actus accidentalis.*

49. Cessat pariter probatio P. Guilielmi Chabroni S. J. in sua Philosophia Colonia

loniæ Agripp. 1662. edita Tom. 2. hîc sect. 2. Conclus. 1. ubi ita philosophatur: *actus correspondens potentia objectiva est actus entitativus; atqui materia prima est actus entitativus: ergò &c. min. prob. illud est actus entitativus, quod defactò existit; sed materia prima defactò existit: ergò &c.*

50. Eximitur inquam, primus suò scrupulò, ac cessat secundi ratio; nam sicuti materia prima juxta definitionem negativam nec est verè bona, nec perfecta perfectione actuali, proveniente ab aliquo actu, ita quoque materia nullum habet actum, nisi fortè velis, quamlibet realitatem actum vocitare,

51. Deinde judico cum Clar. P. August. Magg hîc quæst. 2. p. 16. non omnem potentiam objectivam necessariò per actum esse explendam; sed tunc, quando potentia possibilis non est purè putè receptiva, qualis tamen est potentia objectiva respectu materiæ primæ. & ratio fundamentalis est, quia res etiam extra statum possibilitatis manet intrinsecè eadem; ergò si intrà fuit merè passiva, etiam extrà erit: sicut econtra si intrà fuit acti-

va, ut est respectu intellectus, extra quoque erit activa.

§. XIII.

Statuitur Conclusio II.

Materia prima non habet actum differentialem: Et probatur I. mò Authoritate, & ratione duplici.

52. **P**robatur I. mò iisdem authoritatibus, Aristotelis & D. Thomæ, quas adduximus in Conclusione prima. Si enim, ut cit. loc. probavimus, à materia prima Aristoteles & S. Thomas omnem removerint actum, materia prima utique etiam carebit actu differentiali, seu metaphysico.

53. *Probatur II. dò ratione sequenti communi quidem sed solida.* Actus metaphysicus differentia in substantijs materialibus supponit essentialiter actum physicum formalem, à quo radicaliter desumatur; ergò substantia materialis, quæ caret actu formali physico, caret etiam actu metaphysico differentia; subsumo; sed materia prima caret omni actu physico, ut superius ostendimus: ergò & carebit actu

actū metaphysicō seu differentiali. ant. probo imprimis ex S. Thomā, qui 7. met. text. 33. post multa tandem concludens expressè sic inquit: *Et inde est, quòd genus sumitur à materia, differentia à forma, species autem à materia & forma simul.*

Deinde probo idem ant. ratione: quia primum in unoquoque genere est causa cæterorum illius generis, ut sonat commune axioma; ergò prima potentia intra latitudinem substantiarum materialium est radix omnis potentialitatis; & primus actus est radix omnis actualitatis reperiæ in substantijs materialibus; atqui materia prima est prima potentia, & forma substantialis est primus actus; item genus est quid potentiale, & perfectibile, differentia est quid actuale & perfectivum: ergò materia prima est radix generis, & forma est radix actūs differentialis in substantijs materialibus, & consequenter hic actus metaphysicus in substantijs materialibus supponit essentialiter actum formalem physicum, seu formam substantialem, à qua radicaliter desumatur; sicut gradus potentialis generis essentialiter supponit materiam primam.

§4. *Probo III.tiò aliâ ratione:* Illa solummodò habent actum propriè differentialem, quæ in aliquo genere superiori conveniunt univocè, & per prædicatum aliquod, inferius determinativum superioris, distinguuntur; sed materia prima supra se non habet genus univocum, quia illud vel esset ens, vel substantia ut sic abstrahens à completa & incompletâ; atqui neutrum est genus univocum, cum utrúmque formaliter & in recto de suis differentijs prædicari possit: ergò materia prima non habet actum propriè differentialem.

§. XIV.

Probatur Conclusio aliâ ratione omninò efficaci & firmâ.

§5. **P**robo IV.tò Conclusionem nostram hac ratione efficacissimâ: si materia prima haberet actum metaphysicum; talis actus foret ejus differentia; atqui materia prima non constat genere & differentia: ergò materia prima non includit actum metaphysicum. major est AA.orum & min. probo: si materia prima constaret

ret genere & differentiâ, genus deberet dici *ratio substantiæ incompletæ*, & differentia *ratio primæ potentiæ*; atqui hoc nequit dici; ergò &c. Major rursùs est AA.orum cùm aliud non sit excogitabile; quia per rationem potentiæ passivæ distinguitur à forma & per rationem potentiæ primæ distinguitur à subiecto accidentium; per rationem autem substantiæ incompletæ convenit cum ipsa formâ. Minorem imprimis probo ex dicendis infra, ubi de ratione metaphysicâ completâ materiæ primæ agemus. Interim eandem efficaciter probo cum- & ex Joanne à S. Thoma hîc sic: inter genus & differentiam debet exstare distinctio virtualis exclusiva, seu penès exclusum, ut salvetur univocatio generis, quæ non salvatur, nisi per perfectam præcisionem à differentijs, ut cum communi Thomistarum *in tom. I. in quest. de præcis. objectiv.* fusè ostendimus; atqui ratio primæ potentiæ non distinguitur virtualiter exclusivè à ratione substantiæ incompletæ à materiâ primâ: ergò ratio substantiæ incompletæ, & ratio primæ potentiæ non se habent ut genus & differentia. min. probo: ratio substantiæ incompletæ imbibitur in con-

ceptu primæ potentia: ergò non distinguitur virtualiter exclusivè ab illâ. Consequentia est certa, quia identica. ant. verò probo: quotiescunque unum ex suo conceptu formali est aliud, imbibitur in conceptu illius; atqui ratio primæ potentia ex suo conceptu formali est substantia incompleta: ergò ratio substantia incompletæ imbibitur in ratione primæ potentia. Major negari non potest, non aliâ ratione certè animalitas distinguitur virtualiter exclusivè à rationalitate in homine, nisi quia animalitas ex sua ratione formali est principium sentiendi, non autem ratiocinandi, nisi ad summum identicè. min. verò probo: ratio primæ potentia ex suo conceptu, & ratione formali non est accidens, quia hoc est potentia secunda, imò forma secunda; neque est substantia completa; aliàs faceret, quòd materia foret substantia completa: ergò ex sui conceptu & ratione formali est substantia incompleta. Ad hanc rationem utut efficacem, & Thomistico-fundamentalissimam (efficaciorè siquidem in principijs Thomisticis haud legi)

56. Respondet Eminent. Ferrari in autographo apud Joan. Syri hic n. marg. 4. fol.

4. fol. 30. quòd ratio primæ potentia ex sui conceptu & ratione formali nec fit accidens, nec substantia, seu completa seu incompleta, sed quòd sit taleitas substantia incompletæ. Neque est inconueniens, inquit ipse cit. loc. admittere hujusmodi taleitates; hocque probat à triplici instantiâ; *primò*, quia ex eo, quòd intellectio repugnet esse non vivens, non sequitur, quòd ex sui ratione formali sit positivè vivens, sed solum taleitas viventis; aliter vivens non diceretur univocè de sensitivo & intellectivo. *Secundò*, quia ex eo, quòd ultima ratio albedinis nequeat esse invisibilis non sequitur, esse positivè visibilem & colorem, sed solum est taleitas & determinatio coloris, & visibilitatis, aliter néque color, neque visibilitas diceretur univocè de albedine aliisque coloribus. Et *tertiò* differentia, inquit, substantia completæ licèt illi repugnet esse accidens, non sequitur, quòd sit substantia completa, ut patet; nec substantia incompleta est materia & forma: ergò pariter ratio primæ potentia licèt ei repugnet, esse accidens, non sequitur, quòd sit formaliter substantia, aut completa, aut

incompleta; sed solùm quòd sit taleitas substantiæ incompletæ.

57. *Contra sic breviter ratiocinor*: quia ens reale immediatè dividitur in substantiam & accidens: ergò si ratio primæ potentiæ ex sui ratione formali non est accidens, debet esse substantia, non completa; ergò incompleta.

58. *Respondet rursùs Eminent. Ferrari*; quòd quidem ens reale physicè immediatè dividatur in substantiam & accidens, non autem metaphysicè, sic quippè, ait, divisio entis aliter sese habet. Verùm

59. *Contra ita philosophor*: Ens physicè sumptum physicè dividitur in substantiam & accidens; ergò similiter ens metaphysicè sumptum dividitur metaphysicè in substantiam & accidens. Consequentia est exacta; quia quemadmodùm divisio physica consequitur ad ens divisibile physicum, ita divisio metaphysica consequitur ad ens divisibile metaphysicum, ut servetur debita proportio: ergò &c.

Deinde sic urgeo: sicut ens physicè acceptum immediatè dividitur in potentiam & actum physicum, ita etiam ens metaphysicè spectatum dividitur in potentiam & actum metaphysicum: ergò pariter sicut

ens

ens physicè sumptum immediatè dividitur phyficè in substantiam & accidens, ita ens metaphysicè consideratum debet immediatè dividi metaphysicè in substantiam & accidens metaphysicum.

Et ut sincerè loquar, dico, quòd, si semel admittantur similes taleitates, quæ non sint substantia, nec accidens, amplà via aperiatur Scotistis concedendi etiam tales taleitates, quæ néque sint ens, neque nihil, sed taleitates entis, & ità negandi transcendentiam entis.

60. *Fam patet responsio ad exempla Eminent. Ferrarij, & quidem ad primum;* in tantùm enim intellectivum potest dici taleitas viventis, quia etiamsi per impossibile non esset formaliter vivens, adhuc admitteret, esse substantiam, quæ est indifferens ad esse vivens, vel non vivens secundùm se.

Ad secundum dico, quòd ultima differentia albedinis ex sui ratione formali non sit color, sed taleitas coloris, quia, tametsi non esset positivè color, aut non color, adhuc admitteret, esse accidens, quod secundùm se est indifferens ad utrumque; sed si admittatur aliquid, quod nec sit substantia, nec accidens, remanet, quòd sit

fit nihil, quia immediatè, & non solùm mediatè ens dividitur in substantiam & accidens.

Ad tertium denique assero, differentiam substantiæ completæ esse substantiam incompletam. nec obstat probatio Ferrari, substantiam nempe incompletam esse materiam, & formam. Non, inquam, obstat, quia materia & forma sunt substantia incompleta tam physicè quàm metaphysicè, & solùm physicè non autem metaphysicè componentes. Differentia autem substantiæ completæ est substantia incompleta metaphysicè tantùm, & metaphysicè solùm componens, non verò physicè.

61. *Ex quibus patet*, totaliter ruere doctrinam Lermæ, docentis, quòd ordo, quem materia dicit ad formam, sit actus metaphysicus. ruit, inquam, quia idem urget motivum, ac de ratione primæ potentiæ; nam talis ordo, cùm non sit accidens (aliter constitutivum materiæ primæ, quæ substantia, esset accidens) debet esse substantia, non completa: ergò incompleta, adeoque non distinguitur virtualiter exclusive ab illâ, ac per consequens non est actus metaphysicus.

62. *Neque dicas*: quòd, licèt ratio primæ

primæ potentiaë nequeat præscindere à ratione substantiaë incompletæ, benè tamen possit ratio substantiaë incompletæ præscindere à ratione primæ potentiaë. Nam

63. *Contra sic disputo*, & quidem ex duplici capite; *primò*, quia præcisio non mutua non sufficit ad salvandam distinctionem virtualem penès exclusum, ut cum Syri hîc n. m. 4. aliisque Thomistis teneo: *secundò*, quia talis non mutua præcisio est impossibilis; nam præcisio est quædam separatio intentionalis; atqui nequit unum separari ab alio intentionaliter, quin & istud intentionaliter separetur ab illo: ergo si ratio primæ potentiaë non præscindit à substantia incompletâ, nec substantia incompleta præscindet à ratione primæ potentiaë, & ècontra min probo: sicut se habet separatio physica in esse physico, ità separatio intentionalis in esse intentionalis: atqui nequit unum physicè separari ab alio, quin & istud physicè separetur ab illo: ergò etiam &c.



§. XV.

*Argumentum I.^{um} contra
I.^{am} Conclusionem enervatur.*

64. **A**. *A.ij nostram conclusionem sequenti impugnare solent argumenti:* quod participat aliquid de DEO, debet esse actus; atqui materia prima participat aliquid de DEO: ergò materia prima est actus. minor constat, cum omnis creatio sit participatio DEI, aliàs foret nihil. maj. autem prob. materia prima participat à DEO esse substantiæ; sed ratio substantiæ in DEO essentialiter est actus: ergò quia materia prima participat esse substantiæ, participat quòque rationem actûs.

65. Respondeo neg. maj. potest siquidem materia prima à DEO participare tantum rationem entis, & non actûs. ad prob. con. maj. distinguo min. sed substantia in DEO est essentialiter actus, & etiam dicit hunc conceptum semper explicitè neg. min. implicitè con. min. ergò quia materia prima participat à DEO rationem substantiæ, participat etiam rationem actûs, si participat rationem substantiæ tam secundum explicitum, quàm implicitum con. consequ. si tantum

tum participat ratione substantiæ secundum illud, quod dicit explicitè neg. conf. & conseq.

Explico distinctionem; quia quæcunque participatio DEI in creatura solum est analogica; consequenter non secundum omnem rationem creatura debet participare à DEO; secus creatura deberet participare imensitatem, infinitudinem &c. Hæc enim omnia DEUS habet per suam essentiam. Patet etiam hoc in gratiâ, quæ à creatura participatur; quamvis enim DEUS in linea gratiæ sit per suam essentiam substantia nihilominus tamen non participatur à creatura sub ratione substantiæ; sed respectu creaturæ gratia est in genere accidentis, & qualitas quædam, ut Theologi docent.

66. *Instant AA.ij* quæcunque participantur à DEO, licet tantum detur participatio analogica, debent participari sub ratione entis: ergo etiam quæcunque participantur, debent participari sub ratione actûs. ant. est certum, & conseq. prob. ideo datur participatio sub ratione entis, quia ratio entis in DEO est transcendens; sed etiam in DEO ratio actûs est transcendens, omnia enim in DEO considerari debent sub ratione actûs; ergo si materia pri-

ma

ma à DEO participat rationem entis, participabit quòque rationem actûs.

67. *Respondeo* con. ant. neg. conseq. ad prob. distinguo maj. Ideò primùm contingit, quia ratio entis in DEO est transcendens, transcendentia qualicumque neg. maj. quia est transcendens transcendentia primâ, à qua si abstraheretur, nulla omninò adesset participatio, eò quòd tunc illud esset non ens, & nihil, con. maj. sed etiam ratio actûs in DEO est transcendens, eò modò quò ratio entis neg. min. diversò modò con. min, ratio videlicet actûs puri in DEO non est transcendens transcendentia prima quo ad nos, quia hæc transcendentia est derivata quo ad nos ex subjecto infinito & illimitato, consequenter ab hac creatura poterit se subtrahere, non item à priori.

68. *Urgent AA.ij* licet transcendentia actûs puri non sit ita prima quoad nos, sicut transcendentia entis, adhuc tamen creatura, i. e. materia prima debet rationem actûs participare: ergò &c. ant. prob. effectus debet assimilari suæ causæ in ratione causandi; atqui DEUS causat materiam primam in quantum est actus: ergò materia prima debet à DEO participare rationem actûs.

69. *Respondeo* neg. ant. ad prob. distin-

stinguo maj. effectus adæquatus debet assimilari suæ causæ in ratione causandi con. maj. effectus inadæquatus neg. maj. & distinctâ min. neg. conseq. ratio distinctionis est, quòd, cùm agens quodcunque seu naturale seu supernaturale habeat pro fine totum, & opus perfectum, non assimilatur effectus nisi in quantum est effectus adæquatus, assequiturque opus perfectum; cùm igitur materia prima sit solum effectus inadæquatus, hinc non assimilatur, nisi in quantum accipit formam, quod sufficit.

§. XVI.

Argumentum II.^{um} contra I.^{am} Conclusionem destruitur.

70. **A**A.ij nostrum fundamentum ex S. Thomà desumptum in §. 9. h. q. evertere conando sic argumentantur: Ex eo, quòd DEUS sit sumum bonum physicum, non sequitur, quòd debeat existare aliquod malum summum quoque physicum, aliter foret destructivum, omnis boni: ergò pariter, quòd existet DEUS, qui est purus actus omnem exclu-

D dens

dens potentialitatem, non sequitur, quòd debeat exstare materia, quæ sit pura potentia, omnem excludens actum.

71. *Respondeo I.mò* Invertendo argumentum: Ex eo, quòd DEUS sit summum bonum morale, sequitur, quòd debet exstare aliquod summum malum quòque morale: nempe peccatum in ratione offensæ, ùt cum pluribus Theologis docui in Tractat. de Incarnat. ergò pariter, quòd exstet DEUS, qui est purus actus, omnem excludens potentialitatem, sequitur, quòd debeat exstare materia, quæ sit pura potentia, omnem excludens actum. Quid ad hoc?

72. *Respondeo II.dò* nos non inferre, quòd debeat exstare potentia, nullū prorsùs includens actum, ex eo, quòd exstet DEUS actus purus nullam includens potentialitatem. Non, inquam, sed ex eo, suppositò nempè, quòd exstet hæc materia prima, quæ est potèntia prima, inferimus, nullum prorsùs includere actum, ex eo, quod actus primus, qualis est DEUS, ita sit purus actus, quòd nullam prorsùs includat potentialitatem.

Do insuper disparitatem; quia uti docet S. Thomas q. 5. de mal. art. 1.

zillu tractat. de Incarnat.

ma-

malum est pura carentia alicujus boni; & ideò si exstaret summum malum, esset destructio summi Boni, videlicèt DEI, illiusque destructivum, de quo videri potest idem Doctor Angelicus tùm ibi, tùm I. p. q. 9. art. 3. undè nec exstat, nec est possibile summum malum. Imò nec exstat aliquod positivum physicum in rerum naturâ, quod malum sit, quia malum consistit in deformitate ad voluntatem Divinam, sicut bonum in conformitate ad eandem, haud aliter ac verum in conformitate ad intellectum Divinum.

Cæterùm potentia non est privatio actûs, quin imò est positiva potentia receptiva actûs; idcirco ex eo, quòd exstet pura potentia, non sequitur destructio actûs puri. Hinc potest exstare pura potentia correspondens actui puro, non tamen summum malum correspondens contrapositivè summo Bono.

Alij hanc reddunt rationem disparerem; quia bonum est passio entis; adeoque ubi bonum est, ens est, & ubi ens est, bonum est, saltèm in aliquo genere; & respectivè ad peccatum in genere physico. Ex adverso, inquirunt, actus non est proprietas, aut passio entis, secùs Aristoteles

ens ùt sic in ens actu & in ens potentiã
non divisiffet.

§. XVII.

*Argumentum III.^{tiũ} contra
I.^{am} Conclusionem annihilatur.*

73. **A**A.ij pro-se, ùt ipsi putant, effica-
citer sic philosophantur: quid
quid est ens actu, includit actum: notum
hoc videtur ex terminis, inquit AA.ij,
atqui materia prima ex se, & prout est pars
contradistincta à forma, est ens actu: er-
gò materia prima includit actum, saltem
entitativum. min. prob. quidquid est ex-
tra statum possibilitatis, & híc & nunc à
parte rei, est ens actu, ùt patet; atqui
materia prima est extra statum possibili-
tatis, & híc & nunc à parte rei: ergò ma-
teria prima includit actum saltem entita-
tivum.

74. *Et ita stabiliunt.* quod per suam
propriam entitatem est actualiter extra ni-
hilum, est ens actu; atqui materia prima
per suam propriam entitatem est actuali-
ter extra nihilum: ergò materia prima est
ens actu.

75. *Respondeo* I. *mò* con. maj. neg. min. & maj. prob. illius; procedit siquidem ex pessimâ persuasione AA.orum supponentium, non dari medium inter ens actû, seu actuale, & nihilum, sive ens merè possibile; adeoque hoc ipsô, quod quidpiam sit ens reale, & non ampliùs nihil, aut merè possibile, dicendum esse ens in actû, & includere actum quemdam, quo constituatur in ratione entis actualis. Ubi validè decipiuntur, quicumque sic existimant; nam Aristoteles (ùt in prob. h. Q. jam diximus) 6. & 9. metaphys. dividit ens in actû & potentiam, quæ non significant rem ùt possibilem, & eandem ùt actualement. quod etiam concedit Suarez in Indic. su. metaphysic. sed sunt vera membra dividenda entis essentialiter diversa, & non tantùm distincta inter se secundùm diversos status. Hinc divisum hujus divisionis est ens reale in totâ suâ latitudine.

Dico igitur, quòd hæc AA.orum consequentia, minimè valeat:

Materia prima est ens reale extra statum possibilitatis:

Ergò materia prima est ens actû, seu est actus. Ratio hujus est, quia instituitur processus affirmativè à superiori ad inferius,



& à toto diviso ad unum determinatum ex membris dividendis; haud secus, ac si dicerent:

Hoc animal est extra statum possibilitatis:

Ergò est animal rationale.

Sed potius AA. ij legitimè sic inferre possunt, & deberent:

Materia prima est ens reale extra statum possibilitatis:

Ergò materia prima vel est actus, vel est potentia.

Rationem hujus assigno; quia licèt materia non sit ens actu, sive actus, est tamen realis potentia passiva.

76. Ex his respondeo ad Confirmationem: absolutè siquidem nego maj. quia datur medium inter ens actu, seu actuale, & ipsum nihilum, sive ens merè possibile, ens videlicèt reale potentiale, seu potentia realis purè passiva.

77. Respondeo II. dō distinguendō maj. quidquid est ens actu, prout ly *actu* idem est, ac per aliquam actualitatem, id includit actum con. maj. prout ly *actu* idem est, ac defactō hīc & nunc, à parte rei positum, id includit actum, neg. maj. atqui materia prima est ens actu posteriori modō con.

min.


min. priori modò. neg. min. & conseq. fimiliter distingui debet confirmatio. Unde

Benè observandum, ly *actu* & ly *actualiter* sumi dupliciter; primò *rusticè*, seu vulgariter, prout idem est, ac defactò. Secundò *philosophicè*, prout idem est, ac per aliquam actualitatem; quomodo quis dicitur actu, sive actualiter doctus, postquam adeptus est actualitatem doctrinæ. In hoc ultimo sensu materia prima non est actualiter extra nihilum, sed tantum in primo sensu, in quo nullam importat actualitatem; nam etiam, quis actu sive actualiter, id est, defactò dicitur mortuus, quamvis mors nullam importet actualitatem, ut cunctis perspicuum est.

§. XVIII.

Argumentum IV.^{tum} contra I.^{am} conclusionem deprimitur.

78. **A** *A.ij ex Mastrio, nos ita impug-
nare solent: materia ex se recipit formam in actu; sed nequit sic recipere, nisi sit in actu: ergò materia ex se habet actum entitativum. Major, ajunt. est certa, min. probant; nihil potest recipere aliquid in actu, nisi sit in actu: ergò &c. anteceden-*



dens Masfrius non probat, ut legenti eundem patebit, nequè AA.rij. posset tamen sic probari: nihil potest aliquid recipere in potentia, nisi saltem sit in potentia: ergò pariter nihil potest aliquid recipere in actu, nisi sit in actu.

79. *Respondeo I.mò.* distinguendo min. nihil potest recipere in actu nisi sit in actu inchoativè & in fieri con. min. nisi sit in actu formaliter, completè ac in facto esse neg. min. nota igitur, quòd tunc non habeat aliquem actum incompletum, sed habeat incompletè actum completum, nempè formam, quam dum recipit, dicitur habere illam incompletè, h. e. initiativè, vialiter, & in fieri.

80. *Respondeo II.dò.* negandò absolute min. ad prob. distinguo (ex dictis mutantò verba & nomina) ant. nihil potest aliquid recipere in actu, nisi sit in actu, sumptò ly *actu* adverbialiter con. ant. sumptò ly *actu* nominaliter neg. ant. & conseq. Verùm itaque est, quòd id, quod habet recipere aliquid in actu, debeat esse actu i. e. debeat esse actualiter, & non merè possibiliter, seu non purè possibile; sicut id, quod est receptivum in potentia, debet esse in potentia h. e. debet esse saltem possibile. Non

autem necessarium est, ut sit in actu, seu actualiale, sive ut habeat actum. Quin imò si recipiat actum, non debet habere esse in actu, quia esse in actu tribuitur ab actu seu â forma. Hinc distinguo etiam prob. ant. nisi saltem sit in potentia objectivâ. con. subjectivâ neg. ant. & conseq. quia materia, dum est in potentiâ subjectivâ, seu extra potentiam objectivam, extra statum scilicèt possibilitatis, debet statim actu recipere, cùm non possit sine formâ existere.

81. *Instant AA. ij* Materia prima dum recipit in actu formam, ità est in actu, ut sit actualis pars compositi; sed nequit esse actualis pars compositi, si careat omni actu: ergò materia, dum recipit formam, debet habere actum.

82. Respondeo I. mò ex antecedentibus disting. ant. materia prima est actualis pars compositi *inchoative & in fieri* con. ant. *formaliter & in facto esse* neg. ant. verùm aliter ex præced. dictis

83. *Respondeo II. dò* Materia prima est pars actualis, i. e. pars actuandò componens neg. maj. pars actualiter, h. e. non purè possibiliter componens con. maj. & distinctâ min. neg. conseq. materia prima
igi-

igitur est actualis pars compositi, i. e. actualiter & non purè possibiliter componens; ad hoc autem minimè requiritur actus, cum per modum potentiæ componat.

84. *Urgent AA.ij* materia prima dum recipit formam, ità est in actu, & actualiter pars compositi, ut sit extra statum possibilitatis; atqui nequit habere esse extra statum possibilitatis, nisi includat actum: ergò &c. *min. prob.* quælibet potentia expletur per actum; sed si materia est extra statum possibilitatis, habet esse extra potentiam objectivam: ergò &c.

85. *Respondeo I. mò* (tacendo ea, quæ dixi in §. 12. relege dicta) disting. maj. extra statum possibilitatis inchoativè, & in fieri con. maj. formaliter, completè, & in facto esse neg. maj. & distinctâ min. neg. consequentiam.

86. *Respondeo II. dò* neg. min. ad prob. disting. maj. quælibet potentia propriè dicta, expletur per actum, con. maj. potentia impropriè dicta neg. maj. & distinctâ min. neg. conseq. potentia propriè dicta solùm est illa potentialitas, quam dicit potentia subjectiva ad suum actum formalem, sicut est illa, quam dicit materia ad formam, essen.

essentia ad existentiam, substantia ad subsistentiam &c. & ità expleri nequit, nisi per actum, potentia autem objectiva (ut cit. loc. annuimus, & innuimus suprà) est quædam potentia impropriè dicta, prout idem est, ac possibilitas rei.

87. *Respondeo III. tiò* aliter distinguendo maj. potentia ad actum expleri nequit, nisi per actum, con. maj. potentia ad aliquid potentiale nequit expleri, nisi per actum, neg. maj. & distinctâ min. neg. conseq. sicut ergò potentia objectiva, quæ respicit aliquod ens actuale, seu quæ est possibilitas entis actualis, expletur per actum seu per ens actuale; ita & potentia objectiva, seu possibilitas entis potentialis, ut est illa materiæ primæ, expletur non per actum, sed per ens potentiale, quod ponitur actualiter, id est, à parte rei.

Et sic (inquit hîc Syri num. marg. 7.) *retorquetur argumentum illud, in quo adeò exultat Mastrius, non solum hîc, sed & præcipuè in lib. de generat. disputat. 5. q. 1. art. 1. n. 7. ubi etiam prætendit cum Scotistis convenire in re, & solum in nomine ab eis discrepare Thomistas illos, qui concedunt materiæ primæ*
actum

actum metaphysicum, de quo jam diximus, dicemúsque.

88. *Remurmurant AA.ij* quod est purè in potentiâ, est nihil, sed materia secundum se non est nihil: ergò non est purè in potentiâ, consequenter includit actum. minor est evidens; & major claret, nam mundus, dum erat purè in potentiâ, erat nihil.

89. *Respondeo I.mò* transeat major, quia admodum probabile est inter Thomistas, quòd res in statu possibilitatis non sint purum nihil, sed sint saltem ens in actu signato, & nominale, licèt non participiale, & in actu exercito.

Respondeo II.dò distinguendò maj. quod est purè in potentiâ objectivâ con. maj. quod est in potentiâ subjectivâ neg. maj. in tantum ergò mundus, quando erat purè in potentiâ, erat nihil, quia erat in potentiâ purè objectivâ, seu habebat esse purè possibile; materia autem prima, dum recipit formam est in potentiâ subjectivâ, ut & ipsi AA.ij facile fatentur.



§. XIX.

*Argumentum V.^{tu}m contra
I.^{am} conclusionem depellitur.*

90. *A*ij nostram conclusionem ulterius sic aggrediuntur: quod est bonum, habet actum; sed materia prima est bona: ergò habet actum. Minor est innegabilis, cum materia prima non sit mala; & major est certa, quia unumquòdque eatenus est bonum, quatenus importat perfectionem aliquam amabilem & appetibilem, quæ sita est in actualitate. Si verò de minori adhuc remaneret scrupulus, ex eo cum S. Thoma probari posset, quòd ens & bonum convertantur; consequenter quidquid est ens; est bonum; materia autem prima est ens: ergo & bona.

91. *Respondeo*, distinguendò maj. quod est bonum bonitate actus, habet actum con. maj. quod est bonum bonitate potentia, habet actum neg. maj. & distinctâ min. neg. conseq. bonum importat actualitatem permiffivè, non positivè, h. e. juxta capacitatem rei, in qua imbibitur, ita, ut si imbibatur in aliquo actu, sit actus, si in potentiâ, sit potentia; bonum quippe
est

est transcendens, atque adeò tale vel tale juxta naturam cujuslibet rei, in quâ reperitur, talem, vel talem, sicque patet, quid respondendum sit ad ulter. probat.

92. *Instant AA.17* Bonitas est passio entis; atqui materia prima est actu ens; ergò est actu bona bonitate actuali.

93. *Respondeo I.mò* distinguendò maj. bonitas est passio entis de illa lineâ, in quâ est illud ens, con. maj. de illâ lineâ, in qua non est illud ens, neg. maj. atqui materia prima est actu ens potentiale con. min. est actu ens actuale neg. min & conseq. & hinc solùm sequitur, materiam primam habere bonitatem de lineâ potentiæ, & non de linea actûs. Aliter

Respondeo II.dò Argumentum, si quid probaret, probare duntaxat de actu metaphysico, quia veritas bonitas &c. sunt proprietates metaphysicæ entis, loquendò de bonitate transcendentali. Imò nec de actu metaphysico probare, quia (uti diximus, in secunda conclusione magisque constabit ex solutione objectionû) actus metaphysicus petit distinctionem virtuales, penès exclusum; passiones autem entis non distinguuntur, nisi penès explicitum, ut in Tomo III. Philosophiæ Mettensis docebimus,

94. *Objungunt AA.ij* Materia prima habet inclinationem ad bonum; sed inclinatio sequitur ad actum; ergò materia prima habet actum. min. habetur ex S. Thoma. I. p. q. I. de voluntat. Dei. ubi eâ ratione probat, dari in DEO potentiam appetitivam, quia datur forma præconcepta.

95. *Respondeo*, majorem esse veram de inclinatione entis completi, vel de inclinatione, quæ convenit rei secundum se; inclinatio autem ad formam convenit materiæ non secundum se (nisi ad summum remotè) sed ut dispositionibûs affectæ.

§. XX.

Argumentum VI.^{um} contra I.^{am} conclusionem multiplex evertitur.

96. *AA.ij* ulterius & multipliciter nos ita invadunt, & quidem I. modo Tot modis quodlibet potest esse in actu, quot modis potest esse in potentiâ, nempe passivâ, vel activâ, vel objectivâ: ergò etiam tribûs modis potest aliquid esse
in

in actu ; sed tertius modus importat actum entitativum : ergò quælibet res existens , utpotè potentiæ objectivæ opposita , ac consequenter etiam materia prima , dici potest actus entitativus.

67. *II. dō* Ex P. Roderico de Arriaga disputat. 3. *physic.* cum alijs : accidens habet actum : ergò etiam materia prima , ant. est omninò certum , & conseq. prob. quò aliquid est nobilius , eò magis & potiori jure habet actum ; sed materia prima , utpotè substantia , est nobilior quolibet accidente : ergò cùm accidens habeat actum , etiam materia prima habebit.

98. *III. tid* Materia prima non est pura potentia in esse entitativo : ergò habet actum entitativum , ant. prob. forma non est purus actus in esse entitativo : ergò nec materia prima pura potentia in esse entitativo. ant. constare videtur ex eo , quò aliàs forma in esse entitativo foret DEUS. Consequentiam verò quidam subtilium sic probant : si non existat purus actus receptibilis , nec debet existare pura potentia receptiva : ergò si forma non est purus actus in esse entitativo , nec materia prima erit pura potentia in esse entitativo.

titativo. ant. probat sic: si nullus existeret actus receptibilis, nulla etiam existeret pura potentia receptiva: ergò pariformiter si nullus existat actus purus receptibilis, neque existabit pura potentia receptiva.

99. *Respondeo ad I.ùm* distinguendò maj. tot modis, & eò modò quodlibet potest esse in actu, quot modis potest esse in potentia, con. maj. tot modis, & aliò modò, quàm quò potest esse in potentia, neg. maj. sed potest aliquid tribus modis esse in potentia, vel propriè vel impropriè dictà con. min. semper in potentia propriè dictà. neg. min. & conseq. adeoque res, quæ potest esse in potentia positivâ, & propriè dictâ, potest etiam esse in actu propriè dictò; quæ potest esse, & quatenus potest esse in potentia negativâ, & impropriè dictâ, potest esse in actu impropriè dictò, nisi aliundè etiam in statu possibilitatis sit actus, quod de materia prima affirmari nequit; quippe quæ non aliter fuit possibilis, nisi, ut, quando esset à parte rei, pura potentia subjectiva esset.

100. *Respondeo ad II.ùm primò* retorquendò argumentum: quò aliquid est

E

nobi-

nobilius, eò magis habet actum; sed materia prima est nobilior quolibet accidente: ergò materia prima magis habet actum, quàm accidens; subsumo; sed quodlibet accidens est actus formalis & physicus, & non tantum entitativus: ergò à fortiori, & multò magis materia prima non solum est actus entitativus, sed etiam formalis & physicus.

101. *Respondeo secundò* distinguendò maj. quò aliquid est nobilius præcisè in ratione entis, eò magis habet actum neg. maj. quò est nobilius etiam in ratione actualitatis, eò magis habet actum, con. maj. sed materia prima est nobilior quolibet accidente in ratione entis con. min. in ratione actualitatis neg. min. & conseq.

102. *Respondeo ad III.tium* neg. ant. aut gratiè distinguo; non est purus actus per exclusionem essendi in potentiâ, con. ant. per exclusionem essendi potentiam neg. ant. ad cujus prob. dico, quòd per hoc non foret DEUS, quia forma, tametsi nullatenus sit potentia, tamen est in potentia ad materiam informandam; DEUS autem est actus purus tam per exclusionem essendi in potentiâ, quàm per exclusio-

clusionem essendi potentiam. Hoc argumentum solvetur ex infra dicendis.

§. XXI.

Solvitur argumentum VII. contra II.^{dam} conclusionem ab auctoritate S. Thomæ petitum.

103. **M**agnificus P. Romoser in *physic.* hic art. 2. fol. 60. n. m. 77. suam conclusionem auctoritate S. Thomæ ita probat: S. Thomas ubique velut axiomâ philosophicum constituit, quòd nihil cognoscatur, secundum quod est in potentia, sed secundum quod est in actu. ita habet I. p. q. 12. a. 1. & q. 14. a. 2. & q. 84. a. 2. & q. 87. a. 1. ubi ait: *unum quodque cognoscibile est, secundum quod in actu & non secundum quod est in potentia, ut dicitur 9. metaphysic. &c.* Atqui juxta S. Thomam materia prima secundum se cognoscibilis est; nam q. 6. de veritat. art. 6. ad 3. inquit: *quamvis materia secundum se esse non possit, tamen secundum se potest considerari, & sic potest habere per se similitudinem:* ergò juxta S. Thomam ma-

teria prima debet esse ens in actû, & non, solum in potentiâ: ergò materia debet, in se includere actum; atqui non alium, quàm metaphysicum: ergò, hucusque P. Romoser.

104. *Respondeo ego I. mò* materia prima secundùm se cognosci potest, ut probat Clarissimus Author ex verbis S. Thomæ atqui materia prima secundùm se est potentia physica, ut indubitatum est: ergò materia prima secundùm se ut potentia physica cognosci potest; consectarium igitur est, aut verba S. Thomæ cit. loc. nempè *unumquodque cognoscibile est secundùm quod est in actû, & non secundùm quod est in potentiâ*, aliter exponi, aut materiam primam, secundùm quod est in potentia physicâ, cognosci debere, quid ad hoc?

105. *Respondeo II. dò* unumquodque cognoscibile est, secundùm quod est in actû, vel in actû proprio, vel in actû alieno, con. maj. semper in actû proprio, nego maj. sed materia prima secundùm se considerari potest, terminandò cognitionem quomocunque (& sic est in actû alieno) con. min. terminandò cognitionem ultimatò (& ita foret haud dubiè in actû

actū proprio metaphysico seu differentia-
 li) neg. min. & conseq. adeoque S. Do-
ctor cit. loc. nihil aliud vult dicere, quam
 quod materia prima secundum se non ha-
 beat quidem propriam existentiam, habeat
 tamen secundum se essentiam & similitu-
 dinem cum alijs, ut clarissimè & eviden-
 tissimè patet ex alio loco, videlicet I. p.
 q. 15. a. 3. ad 3. ubi hæc habet: *materia*
secundum se neque habet esse, neque no-
ta benè! cognoscibilis est.

§. XXII.

Respondetur AA.^{um} argu-
mento VIII.^o contra II.^{dam} conclu-
sionem à ratione petito, quod est
illorum Achilles.

106. **M**agnificus P. Romoser loc. pra-
 ced. §. cit. n. m. 78. ratione ita
 nos aggreditur: quod includit in se ra-
 tionem metaphysicè communem, & ra-
 tionem metaphysicè propriam, non est,
 pura potentia metaphysica, sed compo-
 situm metaphysicum ex potentia & actu;
 atqui materia prima includit in se ratio-
 nem metaphysicè communem, & ratio-

nem metaphysicè propriam: ergò non,,
 est pura potentia, sed includit in se actum,,
 metaphysicum, seu differentialem. maj.,,
 patet, nam quod includit rationem me-,,
 taphysicè communem, & rationem meta-,,
 physicè propriam, illud includit ratio-,,
 nem genericam & rationem differentia-,,
 lem: ergò includit rationem metaphy-,,
 sicè potentialem, & rationem metaphy-,,
 sicè actuaalem. min. prob. quo ad I. part.,,
 nam imprimis materia prima includit ,,
 gradum *substantia physicè incompleta,* ,,
seu partis substantialis; qui gradus est ,,
 etiam communis formæ substantiali, cùm,,
 forma sit altera pars substantialis com-,,
 positi physici. Deinde materia prima ,,
 includit rationem *primi principij intrin-*,,
seci corporis naturalis in facto esse; quæ ,,
 ratio est etiam communis formæ substan-,,
 tiali, cùm hæc etiam sit primum princi-,,
 pium intrinsecum corporis naturalis in ,,
 facto esse. Denique materia prima inclu-,,
 dit rationem *subjecti,* seu *potentiæ recep-*,,
tiva, quæ ratio est materiæ communis ,,
 cum alijs subjectis, quale est forma sub-,,
 stantialis, & suum compositum; nam ,,
 forma substantialis, ipsúmque composi-,,
 tum est subjectum accidentium, item ,,
 exi-

existentiæ & subsistentiæ. Quòd si ma-
 teria prima sublunaris consideretur com-
 parativè ad materiam cœlestem, materia,
 prima sublunaris includit rationem *pri-*
mi subjecti, quæ ratio est etiam commu-
 nis materiæ cœlesti; nam & hæc est sub-
 jectum primum respectu formarum cœ-
 lestium. prob. nunc min. quo ad II. part.,
 nam materia prima sublunaris non est
 forma substantialis, nec materia prima
 cœlestis: ergò præter gradum *substan-*
tia physicè incompletæ, item præterra-
 tionem *primi principij intrinseci*, de-
 bet includere aliquid aliud, per quod
 non sit forma; cum hæc etiam sit sub-
 stantia physicè incompleta, & primum,
 principium intrinsecum corporis natura-
 lis in factò esse: ergò hoc aliud ità debet,
 esse proprium materiæ, ut non conveniat,
 formæ; si autem semel non convenit for-
 mæ, jam est in materia ratio differentia-
 lis, seu contractiva substantiæ physicè
 incompletæ, ac proindè materia prima
 essentialiter includit actum metaphysi-
 cum. Eòdem modò, si materia prima
 sublunaris non est materia cœlestis, de-
 bet illa includere aliquid aliud præter ra-
 tionem *primi subjecti*; non enim propter,

præcisum conceptum *primi subjecti* potest non esse materia cœlestis; cum & hæc, fit primum subjectum: ergò hoc aliud ita, debet esse proprium materiæ sublunari, ut, non conveniat materiæ cœlesti. Hactenus P. Romoser, insuper dictum argumentum. „

107. *Ita confirmat n. m. 79.* Materia prima convenit genere cum forma substantiali in ratione *partis substantialis*, & in ratione *primi principij intrinsici*, differt autem ab eâ in ratione *partis subjectivæ & principij potentialis*, nam forma est *pars formalis*, & *principium actuale compositi*. Deindè materia prima, convenit cum formâ, & compositô in ratione *subjecti*, & *potentiæ receptivæ*; & differt ab eâ, quòd materia prima sit *subjectum formarum substantialium*, forma autem & compositum sit tantùm *formarum accidentalium*. Denique materia prima sublunaris convenit genere cum materia cœlesti in ratione *potentiæ passivæ, primique subjecti*, & specie distinguitur ab eâ per respectum ad formas; nam materiâ sublunaris essentialiter respicit formas sublunares, easque modò amissibili recipiendas; cum corpora cœlestia sint

sint incorruptibilia, saltem vi agentium, naturalium: ergò de primo ad ultimum, materia prima sublunaris constat gradu generico & gradu differentiali: ergò includit actum metaphysicum seu differentialem. Hæc rursùs P. Romoser.

108. *Respondeo jam I. mò cum P. Placido Rentz disputat. I. physic. q. 2. a. 3. ad 2. quòd materia prima nullam in se includat rationem communem cum formâ, sed esse per se totam & totaliter diversam à formâ. Et per hanc responsionem totum ruit argumentum unà cum sui confirmatione. Verùm.*

109. *Contra cit. Author n. m. 81. sic argumentatur: si materia per se totam, & totaliter esset diversa à formâ, eò ipsò non esset pars substantialis, nec principium intrinsicum compositi substantialis; si enim materia prima semel est pars compositi substantialis, & primum principium intrinsicum ejusdem, implicat, eam per se totam esse diversam à formâ, quia etiam hæc est pars substantialis compositi, & principium intrinsicum ejusdem, ergò vel dicendum est, materiam primam non esse partem substantialem compositi, nec primum principium intrinsicum ejusdem; quod*

quod certè dici non potest; vel fatendum est, materiam non esse per se totam, & totaliter diversam à formâ, sed includere rationem aliquam com̄unem formæ. Aliundè etiam materia includit rationem propriam: ergò materia in se includit rationem propriam & com̄unem. Hæc P.Romoser.

II0. *Respondeo I.mò* implicat (ex mente dicti clarissimi Authoris) materiam per se totam esse diversam à formâ, quia hæc etiam est pars substantialis compositi: ergò & implicaret (sed quis concedet!) substantiam per se totam esse diversam ab accidente, quia hoc æquè est reale, ac ipsa substantia.

III. *Respondeo II.dò* implicat, materiam per se totam esse diversam à forma &c. Ità, ut cum hac nec univocè, nec analogicè conveniat, con. ita, ut cum hac non quidem univocè, benè tamen analogicè conveniat neg. nam esse aliqua diversa se totis, est differre ita, ut in cunctis, quæ habent, dicant aliquam diversitatem, & in nullo conveniant univocè. Sed ulteriùs contra hanc solutionem

II2. *Possæt quis instare sic:* esse primò diversum, est plus quàm differre, atqui quod est plus quàm differre, est habere plus quàm

quàm actum metaphysicum: ergò materia prima plus quàm actum metaphysicū habet. min. prob. differre est habere actum metaphysicum: ergò se totis differre est secundum omnia habere actum metaphysicum, imò plus quàm actum metaphysicum.

113. *Respondeo*, distinguendò maj. esse primò diversum, est plusquàm differre negativè, con. maj. positivè neg. maj. & distinctâ min. neg. conseq. dicuntur ergò primò, seu se totis diversa per hoc quòd se totis differant aliqua, non positivè per differentias positivas, sed solùm negativè, quatenùs in nullo conveniunt univocè.

114. *Respondeo II. dò ad principale argumentum* cum P. Casimiro Guerinois part. I. physic. q. 2. a. 1. §. 4. fol. 67. genus etiam propriè usurpatum in materia cœlesti, & in materia sublunari propriè non reperi-ri; nam genus propriè sumptum in speciebus propriè dictis duntaxat reperitur, materia verò sublunaris, & materia cœlestis, cùm non sint naturæ completæ & totales, propriè non sunt species. Undè genericè in ratione communi potentiæ passivæ, formæ substantialis receptivæ, propriè non conveniunt, sed impropriè tantùm; quatenùs ratio communis potentiæ passivæ,
for-

formæ substantialis receptivæ, est in illis genus solùm latè, improprie, & abusive pro quacunque ratione communi acceptum.

115. *Respondeo III.tiò* cum Eminent. Cardinal. Aguirre disput. 4. phys. sect. 1. n. 8. materiam primam includere quidem in se rationem aliquam cõmunem, non verò univocè, sed solùm analogicè talem. Ad hoc autem, ut res aliqua dicatur proprie habere actum metaphysicum seu differentialem, debet includere duplicem rationem, unam superiorem, & univocè cõmunem, alteram inferiorem & propriam superioris determinativam. Cùm ergò materia prima talem rationem univocè cõmunem non includat, consequenter nec habebit actum metaphysicum, seu differentialem. At

116. *Contra P. Romofern. m. 85. ita insurgit:* quia materia prima includit in se rationem *partis substantialis*; item rationem *primi principij*, item rationem *potentia passiva & receptiva formæ substantialis*, & *primi subjecti ejusdem*; atqui ratio *partis substantialis*, item ratio *primi principij intrinseci* sunt rationes materiæ & formæ univocè cõmunes: ergò &c. min. prob. néque enim potest assigna-

ri ulla causa analogiæ &c. Hæc P. Romoser & plura cit. num. adfert, quæ tamen in idem recidere videntur.

117. *Respondeo*, negandô rotundè min. & ratio hujus sat & abundè colligere est ex §. 13. item specialiter ex §. 14 uti ex §. præsent. quibûs demonstravimus, materiam ab alijs solùm esse diversam, & analogicè comūnem, & neutiquàm quo ad veram univocationem ab alijs differre.

118. *Respondeo IV. tō* ad principale argumentum cum Complutensibus in I. phys. disputat. 3. q. 3. materiam primam differre à forma substantiali (relege dicta n. 113.) negativè, non verò positivè. Et ideò dico, non differre positivè, quia non includit in se differentiam specificam positivam, per quàm à forma distinguatur secundùm speciem; differre tamen negativè per negationem identitatis, quia videlicèt materia prima non est forma.

Et similiter circa materiam sublunarem & cœlestem cum Joanne Syri in I. physic. q. 2. a. 2. §. 3. n. m. 6. discurre; sicque faciliè instantias, quas in contrarium cit. Magnif. P. Romoser n. 86. 87. & 88. item & prob. 2. n. 89. adfert, solvere possumus, quia nempe essentialia requisita ad proprium actum

Etum differentialem deficiunt in materia & formâ, uti pariter in materia cœlesti, & materia sublunari, quemadmodum hætenùs visum est. Verùm

119. *Contra ea, quæ hucusque diximus, alij AA. um sic instant* 1. *mò* Materia cœlestis & sublunaris habent positivam convenientiam genericam inter se, & non solùm negativam: ergò &c. *ant. prob. primò*; materia prima ut sic dicitur æqualiter de materia cœlesti & sublunari: ergò habent positivam convenientiam genericam inter se in ratione materiæ ut sic. *ant. est certum, omnes enim sunt simpliciter materia. prob. secundo*; materia cœlestis & sublunaris non habent positivam diversitatem genericam, aliàs forent duo genera positivè, & non solùm negativè, quod nos negamus: ergò habent positivam convenientiam genericam. hæc conseq. est exacta; partim quia inter unitatem & diversitatem seu inter convenire & non convenire non existat medium; partim quia homo, & equus non habent positivè diversitatem genericam, ideò habent positivè convenientiam genericam. *prob. tertio*; corpus ut sic est univocum respectu corporis cœlestis & sublunaris: ergò

ergò & materia ùt sic erit univoca respectu materiæ cœlestis & sublunaris ; consequ. est legitima, tum à paritate rationis ; tum quia univocatio totius resultat ex univocatione partium, sicut totum ex partibus resultat.

120. *Instant II. dò* materia sublunaris habet positivam unitatem specificam : ergò materia cœlestis & sublunaris, si non sunt ejusdem speciei positivæ, habebunt positivam diversitatem specificam. ant. prob. omnes materiæ sublunares positivè conveniunt in hoc, quod est appetere formam amissibiliter : ergò habent positivam unitatem specificam & genericam.

121. *Respondeo ad I. am Instantiam* neg. ant. ad I. am prob. neg. consequ. & suppositum consequentis ; supponit enim causam cujuscunque analogiæ esse solam inæqualitatem ; hoc autem est falsum, quia etiam transcendentia se solâ potest causare, & reapse causat analogiam proportionalitatis ; inæqualitas autem causat analogiam, quæ analogia attributionis nuncupatur. Hinc claritatis causâ distinguo ant. dicitur æqualiter, sed cum transcendentia con. dicitur æqualiter, & sine transcendentia neg. ant. & consequ. hoc
ipso

ipsô enim, quòd aliqua ratio sit transcen-
dens, cùm imbibatur in omnibus ratio-
nibus particularibus, seu in omnibus dif-
ferentijs inferiorum, nequeunt inferiora
disserre per proprias rationes particulares,
seu per proprias differentias, quin diffe-
rant in ratione communi; sicque ratio
communis nequit esse in illis omninò ea-
dem, adeoque debet esse analoga. Nos
autem probavimus suprâ, rationem sub-
stantiæ incompletæ transcendere ultimas
differentias materiæ primæ. Et hoc idem
sentimus de ratione materiæ ùt sic, re-
spectu cœlestis & sublunaris. idcirco ratio
materiæ ùt sic est analoga ad materiam
cœlestem & materiam sublunarem.

122. *At inquires*: definitio materiæ
ùt sic est univoca: ergò etiam essentia ma-
teriæ ùt sic erit univoca. Antecedens vi-
detur esse indubitatum, quia una defini-
tio, hòc ipsô, quòd sit una, nequit ex-
plicare, nisi unam essentiam; nam sicut
definitio explicat essentiam, ita una defi-
nitio explicat unam essentiam; analoga
autem plures habent essentias, & non u-
nam solùm essentiam. conseq. autem prob.
definitio explicat essentiam rei: ergò de-
finitio univoca debet explicare essentiam
uni-

univocam ; adeoque si definitio materiae ut sic est univoca , etiam materia ut sic erit , quae definita , univoca.

123. *Respondeo* ex dictis h. §. Illam definitionem materiae esse univocam negativè con. positivè neg. sicut ipsa materia poterit dici univoca non positivè , sed solum negativè , & etiam analogam negativè , quatenus nec habet id , per quod positivè conveniat , nec id , per quod positivè differat , utpotè carens positivò genere , carénsque positivâ differentiâ.

124. *Respondeo ad I. & Instantia II. am prob.* datò antecedenti. neg. conseq. ad cuius prob. distinguo ant. inter habere unitatem & diversitatem , seu inter convenire & non convenire non exstat medium , sumptâ diversitate pro quomodocunque diversificari con. pro rigorosè differre neg. ant. & conseq. inter convenire ergò & disconvenire non exstat medium , si ly *disconvenire* in totâ suâ latitudine sumatur ; si verò accipiat pro rigorosè differre , exstat medium , nempè esse primò diversum ; patet enim , quòd summa genera nec conveniant inter se , nec rigorosè differant , cùm non habeant differentiam rigorosè dictam (aliàs utpotè constantia genere & differentiâ es-

sent species, si non infimæ, saltem subalter-
næ & non amplius suprema genera) sed sunt
primò diversa, quia se totis differunt. Sic
etiam materia cœlestis & sublunaris, quia
non habent differentiam propriè dictam,
nec conveniunt positivè sed sunt primò di-
versæ, quia se totis differunt.

125. *Respondeo ad I.æ II. consëq. prob.*
disting. ant. præcisè propter hoc, neg. ant.
propter alia con. ant. & neg. consëq. quia
homo & equus non ideò præcisè habent
positivam convenientiam genericam, quia
non habent diversitatè (hoc enim non solum
est requisitum) sed ideò, quia ratio anima-
litas, in qua non differunt, est virtuali-
ter exclusivè distincta ab eorum differentijs;
cujus oppositum contingit in materiâ pri-
mâ.

126. *Respondeo ad I.æ Instantia. III.*
prob. neg. consëq. lata siquidem est dispa-
ritas, quia differentia corporis cœlestis &
sublunaris sunt virtualiter exclusivè distin-
ctæ ab ipso. ad rat. distinguo ant. ex uni-
vocatione partium simul sumptarum con.
seorsim sumptarum neg. ant. & consëq. &
retorqueo hanc rationem sic: nam licèt to-
tum resultet ex partibus, partes tamen,
non seorsim, sed solum collectivè sumptæ
sunt

sunt ipsum totum ; ergò pariter quamvis univocatio totius resultet ex univocatione partium, tamen non aliqua pars seorsim erit univocal, sed duntaxat omnes simul sumptæ, quò pacto non sunt, nisi ipsum totum. *Ad II. am instantiã patebit Solutio ex n. 130.*

§. XXIII.

*Argumenta IX.^{um} & X.^{um}
contra II.^{am} conclusionem
rumpuntur.*

127. **M***agnificus P. Romoser rursus cit. loc. n. marg. 90. contra nos ita ratiocinatur: si materia prima esset in se pura potentia metaphysica, deberet habere sibi correspondentem actum aliquem metaphysicum distinctum extra se, per quem actuari possit formaliter & metaphysicè ; sicut ex eo, quòd sit in se pura potentia physica, debet habere aliquem actum physicum sibi correspondentem extra se, per quem physicè actuari possit ; cuilibet enim potentiæ debet correspondere actus ; atqui nullus posset assignari actus metaphysicus distinctus à materia, & eidem correspondens, tanquam*

puræ potentia metaphysicæ: ergò debet in se habere actum metaphysicum. min prob. nam materia prima non potest metaphysicè & formaliter actuari per formam physicam, quia hæc est actus physicus, & compositum ex illis confurgens est propriè compositum physicum & non metaphysicum; alius autem actus assignari non potest: ergò. Ita P. Romoser.

128. P. Christophorus Pängerl in *Thef. philos. Conclus. 1. q. 3. n. m. 66. contra nos ita philosophatur*: Ordo, quem materia dicit ad formam, est aliquis actus differentialis illius: ergò semper verificatur, quòd materia prima aliquem actum metaphysicum in se includat.

129. *Respondeo ad I. um* Nos non dicere aut docere, materiam primam esse propriè potentiam metaphysicam, sicuti est propriè potentia physica; secùs haud dubiè, quemadmodum materia primæ, ùt potentia physicæ correspondet actus physicus, ità eidem ùt potentia metaphysicæ correspondere deberet actus metaphysicus. Probari igitur debet, materiam primam esse potentiam propriè metaphysicam.

130. *Respondeo ad II. um neg. ant. loquendò de actu differentiali propriè tali;*
quia

quia talis ordo intimè transcenditur à ratione substantiæ incompletæ ; idcirco nequit esse differentia exclusivè virtualiter distincta ab illa. Hinc dicimus , quòd licèt ordo ad actum possit constituere aliquid in specie determinatâ , sicut in habitibus & potentijs accidit , in quibus species habetur in ordine ad objectum , quia sunt aliquid completum ; materia prima tamen non potest constitui in specie determinatâ per talem ordinem , cùm sit aliquid incompletum ; nec talis ordo sit aliquid virtualiter exclusivè distinctum.

§. XXIV.

Argumentum XI.^{tum} contra II.^{am} Conclusionem , quod AA.ij omninò firmum & forte existimant , rejicitur.

131. *AA.ij ulterius nos ita impugnant: materia prima (hoc argumentum jam tangebamus supra) ex se ipsa habet rationem conveniendi & disconveniendi ; atqui ratio disconveniendi est actus metaphysicus : ergò materia prima habet actum me-*

taphysicum. maj. prob. materia prima convenit cum forma, quia utraq̃ue est substantia incompleta, rursusque differt, quia una est potentia receptiva, & altera est actus informativus; ergo &c.

132. Respondeo (ex dictis) distinguendo maj. si *ly convenire* sumatur pro convenientia univocâ & tò *disconvenire* pro differentiâ propriâ con. maj. pro quocunque convenire & disconvenire neg. maj. & distinctâ min. neg. conseq. materia prima siquidem & forma, ut jam superius innuebam, se totis differunt, seu sunt primo diversa.

133. *Instant AA.ij Imò* Ratio potentia passivè virtualiter exclusivè distinguitur à ratione substantia incompletæ à materia prima: ergò &c. ant. prob. tunc unum virtualiter exclusivè distinguitur ab alio, quando ex sua ratione formali non est illud; atqui ratio potentia passivæ ex sua ratione formali non est ratio substantia incompletæ: ergò &c. min. prob. tunc unum ex sui ratione formali non est aliud, quando potest stare sinè illo; atqui ratio potentia passivæ stat sinè substantiâ incompletâ, ut palàm est de quantitate, quæ est

est potèntia passiva, & tamen nullô pa-
ctô est substantia: ergò &c.

134. *Instant II. dò* Ideò animal v. g.
virtualiter exclusivè distinguitur à latrabili,
à rationali &c. quia saltem animal secun-
dum suum conceptum inadæquatum po-
test salvari sinè eo, quòd sit latrabile, ùt
patet in equo; & sinè eo, quòd sit ra-
tionale; ùt perspicuum est in eodem e-
quò & in cane &c. sed potest salvari ratio
substantiæ incompletæ saltem secundum
suum conceptum inadæquatum, sinè eo,
quòd sit prima potentia, ùt constat in ipsa
forma: ergo &c.

135. *Et hanc instantiam ita confir-
mant*: sicut non est possibilis ratio primæ
potentiæ, quæ non sit substantia incom-
pleta, ita neque est possibile e.c. latrabile,
quòd non sit animal; sed hoc non obsta-
te, quia potest salvari animal sinè eo,
quòd sit latrabile, virtualiter exclusivè di-
stinguitur ab animalitate: ergò etiam &c.

136. *Eandem instantiam ulteriùs sic
urgent*: sicut valet arguere: *ratio primæ
potentia non est accidens: ergò substan-
tia, non completa, ergò incompleta*; ita
etiam juvat inferre: *latrabile non est non
vivens: ergò vivens, non insensitivum,*

ergò sensitivum; sed hoc non obstante latrabile virtualiter exclusivè distinguitur ab animalitate. tanquàm differentia à genere: ergò pariformiter &c.

137. *Respondeo ad I.am Instantiam*, neg. ant. ad prob. neg. min. loquendô de potentiâ passivâ, & idem dico ad prob. ad id autem, quod additur de quantitate, assero, potentivam passivam, quæ convenit quantitati esse potentiam passivam *secundam*, non *primam*, quæ est in materiâ primâ.

138. *Respondeo ad II.am Instantiam & ejusdem confirmat.* negandô causalem in utrâque; vera enim causalis hæc est, quia id, quod resultat ex latrabili & animalî, nempe canis, & id, quod resultat ex animalî & rationali, videlicet homo, est quid completum verè ac propriè; adeóque animal est quid verè & propriè complebile, latrabile autem & rationale verè & propriè quid completivum, omne autem quid completivum distinguitur virtualiter à suo complebili, quia nihil est completivum sui ipsius, aliàs esset & non esset completivum. Sed id, quod resultat ex ratione substantiæ incompletæ, & ex ratione primæ potentiæ, scilicet

licet materia prima non est quid completum.

139. *AA.ij obganniunt*: dictum responsum est mera principij petitio: ergo &c. ant. prob. hoc ipsissimum est, quod in praesenti disputatione requiritur, num videlicet materia prima sit quid completum in esse metaphysico, dum disputatur, an constet genere & differentiâ, quæ idem sunt ac complebile & completivum in esse metaphysico: ergo &c.

140. *Respondeo*, neg. ant. ad prob. distinguo consequens: ergo est petitio principij, nisi ulterior ratio posset assignari, simulque disparitas con. secus neg. conf. & consequentiam. Dico igitur quod materia prima non sit quid completum in genere metaphysico, rationem esse hanc, quia deberet in eâ excogitari ratio substantialis incompleta complebilis, v. g. sicut in homine assignatur ratio substantialis complebilis, nempe ratio animalitatis, nec per hoc, quod dicatur, *animalitatem esse substantiam incompletam*, fit propositio identica, sed omninò formalis. At in materia prima non est excogitabilis hæc ratio substantialis incompleta complebilis; nam si esset excogitabilis, maximè

foret ipsa ratio substantiæ incompletæ complebilis per rationem primæ potentiæ, ut volunt AA.ij hoc autem risu & cachinnis exciperetur, quia dicere, quòd *ratio substantiæ incompletæ* in materia prima sit *substantia incompleta*, seu *ratio substantialis incompleta*, est facere nugas, ac propositionem identicam.

141. *Respondeo ad id, quòd AA.ij instantiam II. urgebant.* Verum esse, quòd valeat illa argumentatio de latrabili & rationali, in sensu physico, non autem in sensu metaphysico. At de potentiâ primâ valeat ita arguere etiam in sensu metaphysico. Ratio verò disparitatis rursùm est, quia nempe id, quod resultat ex animali & latrabili, videlicèt canis, & id, quod resultat ex animali & rationali, nimirùm homo, est quid completum; non verò est quid completum, quod resultat ex substantia incompletâ. & potentiâ primâ, ut nuperrimè diximus.

142. *Instant III. tiò* sicut se habet substantia completa ut sic ad substantias completas, ita substantia incompleta ut sic ad substantias incompletas; atqui prima virtualiter exclusivè distinguitur ab omnibus rationibus proprijs cujuscunque substantiæ.

stantiæ completæ in particulari: ergò etiam secunda distinguetur à rationibus proprijs cujuscunque substantiæ incompletæ in particulari.

143. *Respondeo* neg. maj. positò, quòd tò *sicut* omnimodam dicat æqualitatem; disparitas siquidem est, quia substantiæ completæ non repugnat compositio ex genere & differentiâ virtualiter exclusivè distinctis. Cœterùm substantiæ incompletæ, hòc ipsò, quòd sit incompleta, repugnat similis compositio; aliàs enim quid completum, & non quid completum foret, utpotè ex genere & differentia compositum.

144. *Urgent*: quamvis materiæ primæ repugnet compositio in esse physico, non tamen in esse metaphysico: ergò &c. ant. prob. non repugnat, aliquid esse compositum in eo genere, in quo non est componens; atqui materia prima, non est, metaphysicè componens, ergo erit metaphysicè composita.

145. *Et sic ex P. Piny roborant.* si non est componens in esse metaphysico, necessariò debet esse composita; sicut si non esset componens in esse physico, esset composita in esse physico: ergò materia

teria prima; quia non est metaphysicè componens, erit metaphysicè composita.

146. *Respondeo* neg. ant. ad hujus prob. dico, non quidem ex hoc capite repugnare, materiam primam esse metaphysicè compositam, quia fit metaphysicè componens; sed ex alijs repugnare capitibus, ut suprâ diximus, puta propter transcendentiam substantiæ incompletæ in ultimâ differentiâ materiæ primæ, impediens distinctionem virtuales exclusivam, requisitam indispensabiliter ad compositionem metaphysicam. Sanè ens nec est metaphysicè componens nec metaphysicè compositum, secùs non foret metaphysicè transcendens.

147. *Respondeo ad Confirmat.* neg. ant. quia sicut DEUS propter summam actualitatem nec physicè nec metaphysicè est componens, & tamen nec physicè nec metaphysicè compositus; ita materia prima propter summam potentialitatem nec physicè nec metaphysicè erit componens aut composita. ad prob. annexam dico, discriminis rationem esse, quòd, nisi esset physicè componens, deberet esse
phy-

physicè composita, quia non ampliùs foret prima potentia, undè tunc effret composita tum physicè tum metaphysicè. Cæterùm tametsi non sit metaphysicè componens, adhuc est prima potentia physica. Hinc sicut DEUS, quia est primus actus, nec metaphysicè est compositus, ità néque materia prima, quia est prima potentia.

148. *Remurmurant denique;* rationes propriæ cujuscunque substantiæ incompletæ se habent determinativè substantiæ incompletæ ùt sic ; atqui rationes determinativæ sunt differentia virtualiter exclusivè distinctæ, ùt patet de latrabilitate & rationalitate respectu animalis : ergò ratio substantiæ incompletæ ùt sic virtualiter exclusivè distinguitur à rationibus proprijs materiæ primæ.

149. *Respondeo,* distinguendô maj. determinatione propriè dictâ, neg. maj. determinatione impropriè solùm dictâ, & tali penès explicitum con. maj. & distinctâ sic min. neg. conseq. quia rationes particulares cujuscunque substantiæ incompletæ non determinant substantiam incompletam ùt sic propriè, quemadmodum



dùm rationalitas contrahit, & determinat animalitatem, sed duntaxat improprie & penès explicitum, sicut differentiaè cuiuscunque entis particulares e.c. accidens substantia, sive perfectitas, inaleitas &c. determinant ens ut sic, ut docebimus in Tom. III. in Quæst. Metaphysic. Hinc sicut istæ solùm penès explicitum distinguuntur ab ente, ita illæ à substantiâ incompletâ.

§. XXV.

*Argumentum XII. contra
II.^{am} Conclusionem à pari in-
structum destruitur.*

150. *A*A.ij tandem nos impugnare solent paritate sequenti: sicut materia prima est prima potentia, ita forma substantialis est primus actus; atqui forma substantialis includit potentialitatem metaphysicam, aliàs foret purus actus, sicuti DEUS: ergò & materia prima includit actualitatem metaphysicam.

151. *Respondent aliqui I. mò cum
Clar.*

Clar. P. Babenstuber hîc n. m. 23. fol. 55. hanc assignandô disparitatem, quòd in forma substantiali reperiatur realis passiva determinabilitas per subsistentiam & existentiam, quibus realiter intrinsecè compleri & determinari potest; cum alioquin esset actus purus non minùs quàm DEUS. Adeoque datur (inquiunt hi DD.) in forma substantiali fundamentum potentialitatis metaphysicæ, illa videlicèt determinabilitas, quæ quodamodò habet rationem potentia physicæ. In materia autem primâ nulla penitùs reperitur determinatio propriè dicta alicujus potentia, sed pura determinabilitas, & potentialitas, & consequenter nihil est in materia, quòd possit habere rationem actûs physici, & esse fundamentum actûs metaphysici, differentia propriè loquendô. Cæterùm (ait P. Babenstuber cit. loc.) illa ratio generica, in qua forma substantialis convenit cum alijs formis & actibus, non est genus completum, cujusmodi competit entibus completis & prædicamentalibus, sed incompletum solùm, sicut & ipsa est solùm ens incompletum. Hinc tamen (pergit cit. Author

thor) non licet inferre à contrario, materiæ competere actum differentiæ saltem incompletum, obstat enim defectus omnis actualitatis in illâ.

152. *Respondent alij II. dō cum Exim.* P. Rentz hîc a. 3. fol. 60. aliam dandō disparitatem, quòd scilicèt ratio potentialis ac generica, in qua materia & forma conveniunt, in forma contrahatur per aliquid actuale, in materia verò per aliquid potentiale; nam id, per quod materia constituitur in ratione materiæ, & contradistinguitur à forma, etiam potentiale quid est, nempe ipsissima potentialitas, & capacitas recipiendi formam, ideóque materia ex omni parte est sola, & pura potentia, non tamen forma ex omni parte solus & purus actus.

153. *Respondent alij III. tiò aliam rursùs cum Exim.* P. Cherubino Möbl in Thes. philos. pag. hîc 37. reddentes disparitatis rationem, quòd nempè forma substantialis, & cæteræ res creatæ, sint aliquod medium inter actum omnino primum, qui est DEUS, & potentiam primam, quæ est materia; constat autem medium participare de utroque extremo. Unde forma debet aliquid habere de actu, & aliquid de

de potentiâ. Atqui extrema ipsa non se mutuò participant, saltem sub eâ ratione, sub quâ sunt extrema, sed se mutuò excludunt, consequenter materia, quæ est prima potentia, nihil potest includere de actu, sicut DEUS, qui est actus omnium primus, nihil potest includere de potentiâ.

154. Verùm, ut ut sunt prædictæ disparitatis rationes validæ & solidæ, subscribere tamen possem Joanni Syri hîc n. marg. 9. pag. 33. & *Respondere IV. tò sic*; neg. min. absolutè & rotundè, sicut enim nequit concipi ratio primæ potentiæ sinè eo, quòd concipiatur ratio substantiæ incompletæ, ità nec potest concipi ratio primi actûs, nisi saltem implicite concipiatur substantia incompleta propter eandem rationem. Unde sicut ex hac ratione materia prima non habet actum metaphysicum virtualiter exclusivè distinctum ità neque forma potentialitatem metaphysicam virtualiter exclusivè distinctam ab actu metaphysico.

155. Nec inde sequitur, quòd forma sit actus purus; non, inquam, sequitur, quia licèt in se non habeat aliquid, quòd sit potentia physica, aut metaphysica, habet tamen hoc, quod est esse in potentiâ seu dicit capacitatem, ut recipiatur in materia primâ; ut præced. conclus. diximus.

156. *Instant AA.ij* Anima ut sic prædicatur univocè de animâ intellectivâ, sensitivâ, & vegetativâ, sicut vivens univocè prædicatur de intellectivô, sensitivô & vegetativô; atqui non potest prædicari univocè, nisi ratio generica virtualiter exclusivè distinguatur à ratione differentiali; ergò forma constat ex ratione genericâ seu potentialitate metaphysicâ.

157. *Respondeo*, neg. maj. sicut enim (ut superius dixi) materia ut sic non prædicatur univocè de cœlesti & sublunari, ita nec anima in communi de intellectivâ sensitivâ & vegetativâ; sicut nec forma substantialis ut sic de formis inferioribus propter eandem rationem; nisi animam excipias rationalem, quæ duntaxat ut quo est substantia incompleta, & completa ut quod.

158. Ad id autem, quod dicitur de vivente, respondeo idem, quod suprâ; nempe ideò prædicari univocè, quia cum sit aliquid completum, ejus differentia virtualiter exclusivè distinguuntur à ratione genericâ, non sic autem materia prima & forma, quia essentialiter sunt substantia incompletæ.


O. A. M. D. G.

P A R E R G A

Ex

Universâ Philosophiâ.

I. Logica artificialis datur. **II.** Logica non est intellectus. nec sapientia. **III.** nec **IV.** prudentia. nec **V.** ars. nec **VI.** Virtus intellectualis. nec **VII.** Scientia. nec **VIII.** Speculativa. nec **IX.** practica. nec **X.** necessaria ad alias Scientias. aut imperfectas; aut **XI.** perfectas. **XII** Objectum logicæ non sunt operationes mentis. non **XIII.** Intellectus humanus. non **XIV.** voces. Sed **XV.** conceptus objectivi. **XVI.** Objectum formale non est rectitudo in conceptibus formalibus. nec **XVII** eorum dirigibilitas. nec **XVIII.** intellectivitas intellectûs humani. Sed **XIX.** Rectitudo in rebus cognitis. **XX.** Objectum attributionis non est sola demonstratio. nec **XXI.** Solutus syllogismus. nec **XXII.** Modus sciendi latè sumptus. nec **XXIII.** termini logici ut logici. Sed est **XXIV.** modus sciendi strictè acceptus. **XXV.** Datur ens rationis logicum, & etiam **XXVI.** Chimæricum. hinc **XXVII.** Reijciuntur entia linguæ. **XXVIII.** Denominatio extrinseca est formalissimum ens rationis. **XXIX.** Distinctio Scoti probabi-



babilius non datur. benè tamen XXX. dan-
 tur præcisiones objectivæ. XXXI. Intelle-
 ctus necessitatur ad inferendam conclusio-
 nem quò ad speciem; & etiam XXXII. quò
 ad exercitium. Nec habitus XXXIII. nec
 XXXIV. Actus scientiæ & opinionis possunt
 simul stare. XXXV. Privatio non est tan-
 tum principium per se intrinsecum corpo-
 ris naturalis in fieri; sed XXXVI. etiam est
 principium constitutivum. XXXVII. Materia
 prima non habet propriam existentiam; nec
 XXXVIII. potest etiam supernaturaliter exi-
 stere sine omni formâ. XXXIX. Appetit
 omnes formas æqualiter etiam XL. corrup-
 tas. unio formalis XLI. non est distincta à
 materiâ & formâ. XLII. Néque totum à par-
 tibus simul sumptis. XLIII. Aurum non po-
 test confici per artem. XLIV. Præmotio
 physica datur. XLV. Creatura omnium
 perfectissima est chimæra. XLVI. Ens non
 potest perfectè præscindi à differentijs.
 XLVII. non est univocum; sed XLVIII. A-
 nalogum. XLIX. Essentia & existentia in
 creatis realiter distinguuntur. L. DEUS po-
 test demonstrari à posteriori.

I. O. G. D. S. P. Bened.
 in Reg. cap. 57.

Caraculski was over den Holo gen, ardeh, d.
Linnæus IV. de spec. verbecht, ob is is lant
fere, mit Holzen fereht zi maht? - Er ant-
worte mit Ja; (als ein zweyter fereht der
Probabilismus, fereht de idemalig fereht - u.
fereht de Pace lant).

Er der zweyten von Caraculski Werk
in P. Felix Egger. Pica Nicotiana. Benedic-
tina. - u. in Carl. de V. d. bll. Copst. and Gb.

Archieves fereht in unter de Testimon.
Auf. p. 467. und wird in vireu Inyoni
von paradoxis, per omnes scripturas nova
vra quarentis, fereht geseht zi Madris 1668

Caraculski Werk 1682. fereht fereht mit
Pica Nicotiana vireu citat fereht fereht.
Spinosa, mit. Tom. II. p. 714.

fereht fereht fereht in fereht fereht
fereht fereht.

und vireu fereht fereht vireu fereht fereht

Dr. H. v. ... *Handwritten text at the top of the page, including a name and the subject 'Apparaty Philo/opticy.'*

Handwritten notes and signatures in the upper right section, including 'folo' and 'L. v. ...'



Handwritten signature or name written vertically on the right side of the page.

Vertical list of handwritten names or signatures on the left side of the page, including 'München', 'M. v. ...', and 'P. v. ...'

